


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
12
8 M
11

STATVTA COLLEGII

DD. ALMÆ VRBIS MEDICORVM

Ex Antiquis Romanorum Pontificum Bullis congesta, & hactenùs per Sedem Apostolicam recognita, & innouata.

Mox ab Vrbano Octauo confirmata, eorumdemque Statutorum in Apostolicis litteris insertione corroborata.

Demum à S. D. N. CLEMENTE X. firmiùs consolidata, & nouis auctarijs amplificata.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apost. M.DC.LXXVI.

SVPERIORVM PERMISSV.

Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſſimo Domino

FLORIDO SALVATORIO TIFERNATI S. D. N.

Medico à Secretis, & ex numero Participantium intimo Cubiculario.



REVE, ſed neruoſum præceptum eſt Senecæ: Qui dedit beneficium taceat, narret, qui accepit. Primam huius ſententiæ partem vltrò, Vir Illuſtriſſime, Tibi ſumpſiſti, ſiquidem & beneficiũ dediſti cumulatiſſimum, & taces. Noſtra igitur ſit pars altera, qui beneficium accepimus. Tua ſeu magnitudo animi, ſeù comitas, & modeſtia Tibi indixerit beneficiorum Collegio noſtro datorum iuge ſilentium; At Nobis lex gratitudinis ſilentium vetat, narrationem imperat, non quidem illam, quæ tua exæquet merita, ſed quam capiat arctum dedicatorij lemmatis compendium. Attingamus præcipua. Apoſtolica Sedes Medicam in Vrbe facultatem ex varijs occaſionibus multiplici ditauit ſalubrium apparatu prouiſionum. Has S.D.N. CLEMENS X. (quem Chriſtianò Orbi ſoſpitet Deus) dignatus eſt partim renouare partim firmiùs cõſtabilire, partim nouis auctarijs amplificare. Eminet diploma datum Anno ſui Pontificatus IV



declaratiuum concordiæ aliàs initæ inter nostrum Collegium, & Vrbis Pharmacopolarum Vniuersitatem præcipiens quotannis accuratam institui taxam singularũ in Pharmacopeis mercium ex Vrbani Protomedici, eiusq; Consiliariorũ sententia decisiua, votoque dumtaxàt consultiuo Consulum Aromatariorum saluo His iure appellandi à taxæ decreto ad Apostolicæ Cameræ Auditorem cum effectũ non suspensiuo, sed purè deuolutiuo. Aliud Diploma datũ Anno subsequenti Pontificatus V. impertit nostro Collegio exemptionem à sumptu litiũ, si quę moueantur à Pharmacopolis aduersus taxam, quæ sibi ipsis videatur rigidè constituta, & onus talium expensarum transfert in ærarium Capitolinum pro Collegij nostri secura indemnitate. His fauoribus postea accesserunt eiusdem S.D.N. prouidæ Constitutiones, quarum altera iubet vniuersos Medicos in quacumque publica Vniuersitate, aut Collegio ad gradum Doctoratus euectos, qui velint in Vrbe, & Statu Ecclesiastico praxim Medicam exercere, referri in Matriculam præuio habilitatis examine, ac suffragante huiusmodi Romani Collegij approbatione. Altera nostri Collegij statuta iussu eiusdem S. D. N. reuisa, discussa, examinata, correcta, & approbata stabilit, perpetuæq; validitatis robore communit. Ad hæc omnia nihilominùs taces meritissime nostri Collegij Antesignane; taces, quasi in his beneficijs nil tuum sit: Verùm alia omninò nostri Collegij mens est, agnoscit, narrat, protestatur vni solicitudini tuæ deberi insolidum, quod his ex certa scientia, & motu proprijs munificè statuendis animum applicuerit Princeps Clementissimus. Non nisi Te de re medica discurrente

con-

concepit, ponderauit, secumque meditatus est, quanta ex his bono publico vtilitas obueniret. In tuum redundat zelum quicquid beneficij est: Verùm sicut omnis taciturnitas visa est tibi importuna, vt Sanctissimo Patri opportunæ ingererentur horum tot commodorum notitiæ; itá dum Nobis, dum Romano Populo, dum saluti Publicæ loquela Tua egregiè profuit, esto beneficium taceas, quod dedisti: Nos, vt alia commemoremus, ne cohibeas. Florent facultatis Medicæ per Vrbem encomia, vtpotè cui dignitatem, splendorem, ordinem indefessa tua sedulitas accersiuit. Nouella frequentatur Academia tam praxeos, quam theoricæ doctis concertationibus gymnicè designata, qua Medicorum studiosa iuuentus adolescat in robur, virescat in florem: Crebrescunt passim tàm publicæ in Xenodochijs, quam priuatæ domi D. Guglielmi Riuæ Chirurgi in Vrbe Clarissimi Anatomicæ corporũ dissectiones præclaro ad indagandas morborũ sedes rudimento. Te solicitiùs vrgente Romanus Ianiculus nouo iam titulo florescit in montem aureum, ex quo patefacta est illic explorandarum simplicium herbarum schola spatiosa, & sulcatim vndiquè florida, ni mauelis aurifodinam potiùs appellari, quam aureus ille Taurus (in tuis fulgens insignijs) monstrarit, vt indè stirpium simplicium non simplex notitia, veluţ Medicinæ Thesaurus affatim effodiatur. Quid vltrà? si nequit enarrari, narrandum tamen est, vel obitèr, quod sub tui Protomedicatus fastigio intrà elapsum biennium æstimatione, incremento, fulcris proceriorem

in florem adsurrexerint iura nostri Collegij nullis facilè aquilonibus perturbanda, dùm supernè illis imminet gentilitium tuæ Aquilæ signum tutelari fulmine obarmatum: Hùc demùm (at loco non vltimo) spectat, quod in eiusdem Collegij munimen, & inuictum præsidium ex Vaticanis Archiuis tuo impendio, sagacitate, molimine tandèm vniuersas conquisiuisti Bullas Apostolicas: quibus Summi Pontifices Sanctissimi Domini Nostri Prædecessores Collegium nostrum liberalitèr magnificauerant; Quod totam earumdem panopliam in vnius Bullarij vastum armamentarium indefesso labore comportaris; Quod congestum huius propugnaculi volumen famulantibus Typis aduolueris nostro Athæneo. Hinc cum sit nostrarum partium accepta hæc beneficia narrare Posteritati, occasionem lubentes arripimus à statuti huius noua impressione, quam tuo meritissimo nomini grata animorum consensione dedicamus, vt saltim in patenti huius operis vestibulo quoddam ære perennius extet obligationis erga Te nostræ monimentum: Tibique in ipsomet statuto status sit honoris nunquam intermorituri, quippè si in Tui stemmatis Anaglypho Taurus ab Aquilæ fulgetro exterritus fugit ad laurum, Tu repentinam claritatem nominis, quòcunque fugeris, non effugies, sed vbiquè Laurus Te prodet maximis in Collegium nostrum meritis immortalitèr laureatum, nostriq; cætus columen, decus, firmamentum. Vale.

Ill. ac Reu. Dominationis Tuæ

Æternùm deuictissimi

Protomedicus, Consiliarij, & Collegæ
Vrbis Archyatrorum Collegij

FRANCISCVS FANFONIVS
Protomedicus Generalis.
Lucas Tomasinus Primus Consiliarius
Antonius Placenti Secundus Consiliarius
Petrus Paulus Reali Tertius Consiliarius

Sub die 8. Iulij 1675. ad Primum perpetuum Magistratum electi.

PRÆCLARISSIMIS NOSTRIS COLLEGIS

DD: Francisco Santuccio
Io. Mariç Constantio.
Ludouico Bellinzano
Ioanni Trullo
Ant. Ægidio Petraglia
Mathiæ Naldo
Carolo Vallesio.
Iosepho Politiano
Paulo Manfredo
Posterisque.

S A L V T E M.



POSTOLICA Sedes optimo rerum tum spiritualium, tum politicarum, & corporalium ordini semper intenta pro cuiusque exigentia molem tot curarum in varios Magistratus ac synedria dispertiuit. Sciensque Populorum sibi subditorum corporalem salutem in ea solicitudine Pastorali meritò non infimum sibi locum vendicare, medicinæ quoque Magistratum in Vrbe ex Archyatris constituit sub numero determinato

in forma legitimi Collegij, eique caput seu Priorem assignans Protomedicum, amplam indulsit iurisdictionem, qua de omnibus quà ciuilibus, quà criminalibus negotijs, & causis quoquo modo ad medicinam spectantibus cognoscat, iudicet, diffiniat. Porrò Collegium istud (quamquam a tempore immemorabili constitutum) non habet annosiorem, quam possit ostentare, Bullam, præter eam, qua illi Sixtus Quartus non modicam contulit iurisdictionem. Iulius Secundus exinde confirmauit quasdam Collegij ordinationes, quæ postea renouatæ fuerunt, & amplificatæ à Clemente Septimo cum prædictæ iurisdictionis firmiori, ac validiori stabilimento, & successiuè Paulus Tertius, Iulius Tertius, Paulus Quartus, B. Pius Quintus, & Gregorius Decimus-Tertius litteris Apostolicis easdem facultates denuò instaurarunt, & corroborarunt; quas deinde insimul à Collegio compilatas Clemens Octauus altero sui Pontificatus anno districtiùs confirmauit, addito inuiolabilis obseruantiæ præcepto. Ac demum Vrbanus Octauus sui Pontificatus anno Decimonono iterùm constabiliuit suaque Bullæ totum Collegij Statutum verbatim inseruit. quod nihilominus lapsu temporis accuratiùs examinatum, & nunc (ita exigente tum Collegij, tum publica vtilitate) iterum reformatum, expunctis superfluis; correctis, quæ mutuò videbantur contrariari; explicatis obscuritatibus; adiunctis, prout conditio præsentium temporum exigebat, necessarijs, iussu Apostolico fibratim recognitum, attentissimoque rigore penitiùs discussum, & in nonnullis correctum atque emendatum nouissimæ tandem confirmationis Apostolicum robur accepit de Paterna manu, motuque proprio nunquam satis

lau-

laudandi S.D.N. CLEMENTIS X. cuius imperio felices, & plurimos de nostris annos supremum numen adiungat. Bulla hæc in forma specificè expressiua integrè complectitur totius eiusdem statuti tenorem, nec solum id omne, quod sui Prædecessores Collegio impertiuerant nouo munimine consolidatur, sed insuper facultates auctario crescunt, fortissimisque obuallantur clausulis, præsertim sublata cum decreto irritanti. Cumque motus proprius, ex certa scientia, deque plenitudine Pontificiæ potestatis, & eiuscemodi clausulis munitus faciat legem vndequaque inuiolabilem, non potuit præstari robustius antemurale ad statuti huius præsidium, tutelam, vigorem. Hinc meritò penes Collegium in his basibus immotæ firmitatis iugitèr perennabit nomen immortale CLEMENTIS PP. X. Agnoscet vniuersa Posteritas, quod si alijs maximis Pontificibus diuisim tot nostra priuilegia, gratiæ, indulta, & fauores debeantur; supremum horum fastigium perfectionem, & complementum absolutissimum debeatur æternum CLEMENTIS X. vni munificentiæ, benignitati, zelo. Huius autem statuti necessaria reformatio, priusquàm iussu Pontificio discuteretur, modumque reciperet, vltrò placuit Collegio, suapte nimirùm experientia satis edocto, quam fuerit necesse ipsum in hanc formam redigi ad commodum, & publici ministerij, & nostri Collegij assecurandum: idque vt communi omnium Collegarum arbitrio sanciretur, ac resolutio desuper concipienda ad æquissimam iudicij normam aptiùs maturesceret, sub nuperò Illustriss. ac Reuerendiss. D. Floridi Saluatoris Protomedicatu singuli eiusdem statuti apices à dispertito in duas Congregationes Collegio fuerunt acri studio ventilati, & vtriusque

Con-

Congregationis placita in totius Collegij pleno confessu iterùm, iterùmque crebris, & crebris tractatibus ad limam reuocata, donec vnanimi cunctorum suffragio singulæ minutiæ in optimam coaptarentur symmetriam. Inter mutationes diuersis statuti capitulis opportunè inuectas præcipua magisque conspicua fuit circa votorum vrnam in Magistratuum electione, circàque Protomedici supremum officium, quod quidem priùs (nisi confirmatio in annum sequentem accederet) annuatim spirabat, sed modo ex dispositione statuti reformati gaudet perpetuitate in quatuor Collegis per circuitum alternante, quorum qua deinceps forma, quo ritu, ac tempore instituenda sit non solùm adamussim præscribitur, sed etiam in subsecuta prima electione fuit exactè obseruatum, atque in posterum Canone perpetuo constantèr obseruabitur. Lex ista non tantum concordibus votis Collegij acceptata, verum & postea ratificata, subscripta, iurata fuit ab vniuersis, & singulis Collegis, perque eosdem ad executionem, & praxim solemnitèr iam deducta in binis electionibus nempe anno proximè elapso 1675. in Dominici Natalis peruigilio, & anteriùs quoque sub die 8. Iulij 1675. Porrò eiusdemodi electio suffragantibus vndecim Collegis, (præuia trium Collegarum nempe Illustriss. ac Reuerendiss. prædicti D. Floridi Saluatoris, D. Benedicti Ritæ bo:me: & D. Francisci Santucci, eximia laude, & immemorabili raræ animi moderationis exemplo, Spontanea renunciatione suis electionibus) in Nos Quatuor incidit, ac in ea manifestè eluxit neminem Eligentium priuatum suum commodum pro scopo habuisse, nam in electos Priores duos concurrerunt decem suffragia; in Tertium nouem; in Quartum

octo;

octo; nec tamen Collegarum fuit ullus qui non existimaretur horum votorum ex merito capax, atque dignissimus. Quod autem nostra electio aliquamdiu clausa fuerit sub secreto, nec confestim publicata, eidem inter Nos ipsos vniuersalem conciliauit plausum; profuit non solum ad reliquos in bona spe nutriendos, verum etiam ad omnes in concordia, & vnione tranquillè continendos; vtque tàm in electionis actu, quàm post illum clariùs effulgeat imperturbabilis nostrorum Eligentium placiditas, & animorum serena quies, dum nemo queritur, nemo relamat, nemo sui præteritionem accusat. Quamobrem Nos agnoscentes quantum obligemur huic ipsorum ingenuæ comitati, qua tanto cumulo, ac plenitudine sua in Nos vota congesserunt, nosq; præ semetipsis illustri hoc gradu apprimè dignos, & idoneos censuerunt, vicissim ipsis in synceram amicæ gratitudinis contestationem, ac tesseram pollicemur, nos debita mentis applicatione diligentèr ac seriò conaturos, vt ipsorum de Nobis iustæ expectationi, nostroque perhonorifico muneri exactè respondeamus, ita demum satisfacturi iuramento nostro, quod iuxta statuti capitulum sextum in aditu huius officij palam præstitimus. Ceterùm hoc iuramento cum obstringamur non solum à nobis fidam statuti exigere obseruantiam; sed procurare insuper, vt à Reliquis, quos id pariter concernit, exactissimè obseruetur, confidimus DD. Vestras eidem statuto quadam velut æmula promptitudine sic parituras, nè vnquam nobis ingeratur molesta occasio procedendi ad pœnas inibi taxatas; neque vicissim in casu transgressionis vlli Vestrum (uti speramus) durum, aut inhumanum videbitur iustæ correptionis rigorem experiri, dum adeò notum est omnibus


nibus

nitus, quantum nos ad eiuſcemodi ſeueritatem obliget tum noſtræ conſcientiæ vigil ſynteresis, officijq; grauitas, tum vtilitas, & honor Collegij, cui proſpiciendum eſt, ne Contribules noſtri illo defraudentur integritatis conceptu, quem aſſecuti ſunt, quando Nos in legum noſtrarum Vindices elegerunt. Exaduerſo tamen etiam obteſtamur non tantum DD. Cenſores pro tempore, vt Nos ſtrictiùs admoneant, ſicubi per inaduertentiam noſtro muneri defuerimus, verùm etiam ſigillatim rogamus quemlibet ex Collegis, vt in ſalubri commonitione, quotiès opus fuerit, eodem erga nos ſtudio feratur. Nam proteſtamur, noſtram hanc vnicè mentem eſſe, ac ſemper fore, pro tempore noſtrarumque virium conditione inuictè ſatagere, vt irreprehenſibilitèr; ac ſtrenuè pro incolumitate huius ſtatuti, & Collegij noſtræ functionis debito ſatisfaciamus.

Ad hoc deniquè ſecuram nobis pollicemur ſummi, & æquiſſimi Principis noſtri Protectionem, adſiſtentiam, fortiſſimique brachij ſui præſidium, tum verò & noſtrorum omnium Collegarum ſpontaneam cooperationem, atque auxilium, in id nobiſcum ſedulò incubiturum, vt perſeueret vndequaque intactus Collegij *decor, inconcuſſa præualeat Medicæ facultatis honorificentia, nobiſque inter hæc fulcra noſtri officij pondus alleuietur. Valete.*

IN-

INDEX CAPITVLORVM.



De

De

De

Imprimatur.

Si Videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palati Apostolici,

I. de Angelis Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apostolici Magister.

CLE-

CLEMENS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.



OMANVS Pontifex omnium Christi fidelium pater, & pastor non solum Spiritualibus Dominici gregis curæ suæ diuinitus commissi vtilitatibus ex débito pastoralis Officij, quantum sibi ex alto conceditur, prouidere iugiter satagit, sed etiam corporali eorumdem Christi fidelium incolumitati sollicita paternæ charitatis prouidentia consulere studet, ac proinde illis, quæ prò fælici, prosperaque salutaris humano generi Artis Mædicæ directione, salubrique illius exercitio, ac illam profitentium honorificentia, & commodis prouidè, prudenterque con-

ſtituta, & ordinata eſſe noſcuntur, vt firma ſemper atque illibata perſiſtant Apoſtolici muniminis libenter adiungit firmitatem. Cum itaque (ſicut accepimus) dilecti filij Protomedicus, eiuſque Conſiliarij, & Collegium Medicorum almæ Vrbis noſtrę antiqua eiuſdem Collegij ſtatuta, quæ dudum á nonnullis Romanis Pontificibus predeceſſoribus noſtris, & præſertim à fel. rec. Vrbano Papa Octauo anno 1641. confirmata fuerant, vtilitaté publica ita exigente ipſiuſque Collegij decore ſuadente, opportuné reformauérint, ac ſublatis quibuſdam ſuperfluis; correctis, quæ inuicem pugnare videbantur; dilucidatis nonnullis obſcuritatibus; ſuperadditiſq; illis quæ pró mutata temporum conditione deſiderabantur, illa in melioré formam redegerint, ipſaque ſtatuta ſic reformata iuſſu noſtro accuraté diſcuſſa, & examinata, ac in nonnullis correcta, & emendata, & in vnum volumen redacta fuerint tenoris, qui ſequitur videlicet.

STA-

STATVTA COLLEGII DD. ALMÆ VRBIS MEDICORVM.



De numero, & ordine Collegarum. Cap I.



ROMANVM Medicorum, quod in antiquis Iustiniani legibus, & in Archiuijs Sanctæ Sedis Apostolicæ Archiatrorum Collegium appellatur, ante multa secula ob Reipublicę vtilitatem à Romanis Imperatoribus institutum, & deinde à Summis Pontificibus, & restitutum, & confirmatum, multisque priuilegijs, & ampla iurisdictione illustratum, quoniam Patrum nostrorum memoria numerum duodenarium non superabat, inuiolabili lege sancimus, vt duodecim collegis similiter constet. Huic igitur numero nulla possit fieri additio, deque eo augendo quis quis ad Col-

legium egerit ipso facto, & ipso iure ex Collegarum albo expunctus censeatur, & alter in eius locum cooptetur. Ex his vero septem dumtaxat ordine priores in Collegium adscripti Numerarij, quinque vero qui deinceps ordine posterius adscripti sunt, supernumerarij antiquo more vocentur. Quorum duo Numerarijs propinquiores Numerarij Philosophiæ more maiorum appellentur. Huius autem varietatis vsus suis locis inferius innotescet. Vt vero prior, aut posterior aliquis in Collegium cooptatus est, ita rei alicuius gerendę causa conuocatis Collegis sedendo, dicendo, ambulando, omni alia posthabita ratione, quæ alioquin extra Collegium seruanda esset, priorem, posterioremque locum retineat.

De Collegij Magistratuum numero, & tempore. Cap. II.

EX eo numero, & non aliter tres instituantur Magistratus. quorum primus plenam, & vniuersalem in ijs, quæ ad artē Medicam spectant, iurisdicendi potestatem habeat, atque constet ex Protomedico, & tribus Consiliarijs; vnus idemque sit Collegij prior, & Protomedicus Generalis, qui anno sui Protomedicatus exacto recedere debeat ad munus tertij Consiliarij, dum hic ascendet ad illud secundi, & hic ad illud primi Consiliarij, cui immediate superit Protomedicatum assumere. Secundus Magistratus geratur à censoribus. Tertius

tius autem à Sindicis: ille ideo introductus, vt non solum reliqui omnes Collegæ, sed ipse met Protomedicus, & Consiliarij constituentes, vt diximus, primum magistratum honestè, optimisque moribus viuant, alterum non ledant, suisque probè officijs fungantur. Alter vero, vt rectè administrationi rerum, & pecuniarum Collegij omni studio incumbat, & indemnitati in cunctis, quæ pertineant ad interesse eiusdem Collegij, sedulò inuigilet. Præterea sint Collegij Officiales Questor siue Camerarius Massæ, & pecuniarum pertinentium ad totum Collegium. Duo Promotores, Septem Examinatores, quorum quatuor studiosos, qui vel dignitatem Doctoris, etiam Chirurgi petunt: Vnus verò exteros Medicinæ Professores licet alias antea Matriculatos ad Vrbem venientes; & medicinam exercere ibidem volentes examinet ad formam Constitutionis Gregorij Decimitertij. Vnus illos, qui tàm in grauibus quam in leuibus, seù particularibus casibus Chirurgiæ facultatem per litteras petunt. Vnus denique Obstetrices, Chimicos, Vendentes herbas, & alia simplicia medicamenta, ac stufam siccam facientes examinet. Primus Magistratus supradictus sit inuiolabiliter, ac ex iure quęsito perpetuus inter quatuor Collegas ad eumdem magistratum specialiter, & iuxta formam inferius descriptam electos, sed quoad id, quod respicit exercitium, hoc varietur per turnum, seu rotam, & inter eosdem quatuor Collegas prædicta Protomedicatus, & trium Consiliariorũ circumferantur annuatim officia, ex

qui-

quibus cuncta vniuersim retrahenda,& quæ quomodolibet prouenient emolumenta, communem massam conficiant, & sub fine cuiuslibet anni distribuantur inter prædictos quatuor collegas, ac sint ijsdem tam Protomedico, quam consiliarijs prò æquali portione communia. Hinc tam Protomedicus quam singuli tres Consiliarij omnia, quæ ex proprio officio percipient emolumenta,fideliter deponere teneantur penes tertium pro tempore Consiliarium futurum eiusmodi massæ, peculiarem Camerarium; Reliqui vero duo Magistratus pretacti singulique Officiales ex omni parte sint annui. Protomedicus, & Consiliari eligantur, vt cap. 4. inferius dicetur. Censores vero, Sindici, quatuor lauream Doctoris petentium examinatores, & Collegij Camerarius à toto Collegio eligantur, reliquos iure suo Protomedicus declaret prò tempore eos quoque, vel ex eis aliquos, qui priore anno eadem officia gesserint. Calendis Ianuarij noua adeantur officia. Quod si mori Protomedicum ante sextum sui officij mensem contigerit, primus Consiliarius statim conuocet Collegium, & præstito iuramento in manibus secundi Cōsiliarii possessionē Protomedicatus accipiat, & illo eodem anno exacto dimittat. Alijque duo Consiliarij, vt superius dictum est, ordinatim ascendant; & Collegæ electi, nec adhuc publicati, schedula aperiatur, nomenque, vt inferius cap. 4. dicetur respectiuè publicetur: Si verò post sextum mensem mors acciderit, reliquum illius anni, & in annum sequentem gerat Proto-

tome-

tomedicatum idem dictus Primus Consiliarius, & hoc anno exacto deponat, nec de eo confirmando agatur statutum est enim cuique ex quatuor Collegis ad perpetuum Magistratum electis non licere Protomedicatum diutius gubernare.

De Conditionibus eligendi ad primum Magistratum. Cap. III.

NEmo eligatur ad primum Magistratum, nisi ex corpore Romani Collegij, & qui annis quadraginta maior non sit, qui tres totos annos in Collegio non fuerit, qui ab Vrbe domicilio relicto absfuerit, & qui alicuius ex tribus Magistratibus sententia in gradu appellationis (si interposita sit) confirmata condemnatus, nec absolutus fuerit. Quicunque verò quacumq; tatione hanc dignitatem assequi contra quam statutum est aggressus fuerit. Is à Protomedico dignitate Collegæ ac omni iure Collegij in perpetuum priuetur, nec vnquam in Collegium amplius admittatur, sed alter in eius locum statim eligatur. In cuius vis autem Magistratus electione legatur coram toto Collegio statutum illud, in quo de illo agitur ad hoc vt nemo non seruata forma statuti eligatur.



De

De modo Eligendi ad primum Magistratum Cap. IV.

ANtiquitus Character Protomedici per Rotam, seu Turnū circuibat inter solos Numerarios, deinceps turno subrogata electione habilitati fuerunt ad munus Protomedicatus exercendum omnes Collegæ, tam numerarij, quam supernumerarij. Nunc autem iustis de causis propter quas tam Reipublicæ, quam Collegij dignitati, & vtilitati ita expedire visum est sancimus in constitutione primi Magistratus Turno esse coniungendam electionem, quod vt congrue stabiliatur, formatus est perpetuus Magistratus ex quatuor Collegis, quorum alter sit Protomedicus, & reliqui tres Consiliarij à toto Collegio iuxta formam inferius descriptā electi, inter quos durante ipsorum vita per vices annuas præfata munia, turno seruato, per rotam circunferantur. Vt vero talis electio inuiolabiliter penes Collegium permaneat, eademque præsentaneo semper vinculo cuiusdam iuris quæsiti prouide in omnem casum premunita reperiatur, dispositum est, quod vltra quatuor supradictos sint iugiter in promptu alij tres Collegæ adhoc peculiariter, & secretis suffragijs à toto Collegio electi, vt quando acciderit quemquam ex illo quatuor Collegarum Magistratu è viuis abire; mox alius istorum suo ordine in defuncti locum absque presentanea electionis necessitate subintret, quod pariter intelligendum est dè

omni

omni alio euentu, quo contigerit vacare locum in dicto Magistratu, atque talis electio instituatur iuxta formam, & modum, prout immediatè hic subnectitur. Sub fine anni ante festum Sanctissimæ Natiuitatis Dominicæ Protomedicus Magistratu abiturus iubeat Collegium numerariorum, & supernumerariorum ad præscriptam diem, & horam conuocari in loco solito Archigimnasij Romani, vel altero, quod sibi videbitur opportunum, in quem cum alij septem Collegæ conuenerint simul cum Protomedico inchoetur sacrum de Spiritu Sancto, eoque ritè peracto, Collegæ, qui tunc aderunt, soli in dictum locum solitum, aut alium opportunum se recipiant clausis ianuis: Nulli sero venientium Collegarum aditus pateat, quinimo, & quatuor nummis aureis de camera irremissibiliter à Protomedico mulctetur, sicut pariter, qui absque iusta causa à Collegio cognoscenda non venerit, & qui soluere recusauerit per triennium Collegij emolumētis careat: ibi vero parata sit mensa a Collegarum consessu modicè distans, & in ea pro suffragijs adhibendis adsint calculi albi, & nigri, qui calculi sint capsulæ ligneæ, formæ assimilis, paris magnitudinis, & conformiter extinsecus coloratæ, intrinsecus autem aliæ albo colore (quæ fauorabiles erunt) aliæ nigro colore tinctæ (quæ erunt excludentes) & quæ omnes possint torculari, & artificiosa viticula occludi, & quoque aperiri. Prætereà etiam adsint duo disci, vnus à dextris in eadem mensa, alius autem à sinistris, qui ideò ibidem sint positi, vt vota Collegarum recipiant;

B Verum

Verum interſit hoc diſcrimen quod diſcus dexter debeat eſſe vas ſcrutinij, qua de re habenda erit tantum ratio de illis capſulis, quæ à Collegis ordinatim demiſſæ fuerint in eodem diſco dextero; De cætero capſulæ, quæ demiſſæ fuerint in diſco ſiniſtro nihili fiant;& hinc ſtatuitur, vt relinquantur omnino confuſæ, nec aperiantur, & à nemine videantur. Quamobrem in dextero diſco palam ſpectetur ſchedula explicata ab ambobus cenſoribus, aut ſaltem ab vno diligenter recognita, & præcedenter caractere etiam firmata, referens inſcriptum manu Notarij nomen illius Collegæ,pro quo iure primo loco ferri debeant ſuffragia. Mox ſinguli præſentes Collegæ ordinatim à Protomedico vna cum cenſoribus ſedente obuiam ipſo Collegio accipiant binas capſulas ex ſupradictis, quarum vna intus ſit albo colore approbationis tincta, altera vero nigro reprobationis, quod quidem non ſolum cum Protomedico ambo cenſores, vel vnus ſaltem ex illis, ſed ipſimet Collegæ,qui capſulas accipient, recognoſcant attentè, & poſtea coram toto Collegio, & præſente Notario earumdem duarum capſularum, pro ſua conſcientia eligendo, vel reprobando alteram, quam velint in diſco ſcrutinij dextero:Aliam in altero à ſiniſtris diſco publicè demittant. Poſt lata ſuffragia Notarius(aſſiſtentibus iiſdem Protomedico, & cenſoribus)coram toto Collegio ſchedulam referentem nomen diligenter plicet, & eius vtrumque extremum duplici ſimili ſigillo communiat,nimirum altero Protomedici, altero ipſius Colle-

gij

gij per censorem imprimendo: mox omnes capsulæ demissæ in dextero disco simul cum schedula nominis sic sigillata occludantur alia maiori capsula capaci omnes dictas capsulas suffragiorum, & schedulam nominis in propria sui cauitate comprehendere. Tandem ijsdem omnino seruatis pro altero, cui iure secundus locus debetur, ferantur suffragia, & similiter etiam pro tertio, cæterisque Collegis, procedendo ab antiquiori vsque ad postremum ex ijs, qui sunt ad eiusmodi Magistratum eligi capaces. Veruntamen liceat vnicuique Collegarum tam ante actum, quam post actum secutum suæ electionis spontè, & omni meliori modo, quauis clausula, & conditione illi renuntiare, nec semel solum, cum signatim vni, ac sine præiudicio successiue quoad futuras alias renunciet, sed etiam pluries, nec ob id ne iterum atq; iterum eligi possit, vocem passiuam amittat, nisi renunciationem eidem voci eius passiuæ speciatim perpetuo valituram efficiat, quocunque autem modo fiat renunciatio non admittatur, nisi libere facta ipsi Collegio, & semper sine præiudicio præactæ apud Notarium asseruatæ electionis: scrutinijs autem omnium prædictorum Collegarum absolutis, Notarius imprimis aduertat cunctas schedulas nominum assimili prorsus plicatione fuisse plicatas, eodemque sigillo earum extrema obsignata similiter atque munita: deinceps omnes capsulas continentes, vt supra, minores suffragiorum capsulas confundat, & misceat in sacculo, ex quo coram toto Collegio illas extrahat, & seorsim tam maiores,

quam capsulas minores aperiat, obseruatisque diligenter, ac numeratis fideliter suffragijs singulorum, idem Notarius manu sua notet in eadem vniuscuiusque schedula, quot vota approbantia, & quot reprobantia quisque Collegarum obtinuerit; illorumque dumtaxat trium, in quos maiori in numero approbantia vota discesserint, schedulæ, vt supra, sigillatæ vnitim inuoluantur inuolucro papiraceo, quod sigilletur, & muniatur Protomedici charactere, & sigillo: Aliæ verò cęterorum nominum schedulæ palam, eaque diligentia comburantur, vt quid reliquis Collegis acciderit in incerto relinquatur. Inuolucrum verò trium electorum vt supra munitum, & sigillatum ponatur in capsula proportionabiliter ipsismet schedulis oblonga, & quadrata, quæ inde circumducatur filo aliquo forti, cuius nodus muniatur sigillo eiusdem Protomedici, & tradatur, ac consignetur Notario, qui easdem tres schedulas ita inuolutas, ac inclusas conseruet, atquę custodiat in hunc finem; quod si intra annum acciderit, aut quemquam ex illo quatuor Collegarum Magistratu è viuis abire, aut altero quouis modo vacare locum in dicto Magistratu, Protomedicus pro tempore teneatur statim, & eodem die, vbicunque vel in Archigimnasio vel alibi, prout sibi magis placuerit, conuocare Collegium: Id quod si ille neglexerit, liceat censoribus aut vni ex eis (Protomedico etiam inuito) idem Collegium auctoritate censoria conuocare, vt supra, vbi possit cum interuentu Notarij coram illis, quot quot fue-

fuerint, Collegis tam à Protomedico, quam (si hic aut non interfit, aut quamquam presens exequi recuset) à censoribus, aut altero etiam ex eis aperiri illa schedula ex tribus apud eumdem Notarium, vt supra, asseruatis, & custoditis, in qua apparuerint notata fauorabilia, & in maiori numero vota; quod si hæc paria fuerint, tres omnes aperiantur schedulæ, & nominibus trium electorum publicatis subintret, & præferatur ille, qui prius fuerit cooptatus in Collegium, cum æquitati sit consonum, quod antiani cęteris paribus preferantur. Si verò reperiatur Collega, cuius nomen erat inscriptum in ea, quæ iure aperitur, schedula fuisse mortuum, vel quomodocumque incapacem, tunc nomen alteriùs Collegæ inscriptum in altera schedula publicetur, & in continenti (dato ei iuramento) substituatur in locum vacantem in dicto Magistratu ad munus tertij Consiliarij. Postea nullo interuallo temporis interposito, sed statim, & immediatè aliorum trium Collegarum fiat noua altera electio modo, & forma ijsdem superius expressis, non solum quoad actum electionis, verum etiam, quò ad ea, quæ post electionem pro schedularum assecuratione, & custodia superius sunt prouidè ordinata: Quinimo non nisi post peractam denuò electionem Collegæ in præcedenti electione electi, & quorum fuerint inscripta in secunda, & tertia schedula nomina tam publicata, quam non publicata Ius sibi quæsitum amittant; ac ideo statuimus easdem istorum nominum schedulas post consumma-

summatum actum alterius nouæ electionis, & non antea comburi, iisdem toties desuper seruandis, quoties acciderit intra annum aliquem locum in dicto Magistratu vacare. Verum si intra annum nulla intercedat vacatio in dicto Magistratu, tunc sub fine anni ante festum Dominicæ Natiuitatis renouetur aliorum trium Collegarum electio, seruatis modo, & forma superius expressis, & electio antecedenter facta habeatur tanquam si non fuisset facta, nec nomina tunc electorum detegantur, sed vt tota res relinquatur in incerto coram toto Collegio, & præsente Notario post perfectum actum, vt supra dictum, alterius nouæ electionis comburantur præcedentis electionis schedulæ, id quod in vtroque casu, tam vacationis infra annum, quam si nulla vacatio intercedat, ità exactè obseruetur inperpetuum, vt singulis annis ante festum Dominicæ Natiuitatis ad prætactam trium Collegarum nouam electionem inuiolabiliter procedatur; seruatis semper, & vndique iisdem modo, & forma, & ordinationibus supra traditis, vt potè cum modus eiusmodi in qualibet sua minima parte fuerit volitus à Collegio pro forma, ita vt si in aliquo varietur, varietas quidem minima officiat, & inficiat in totum electionem, adeoque exigatur adimpleri dictam formam inuiolabiliter etiam in minimo, vt non possit vnquam prætendi licuisse adimpleri per æquipollens etiam, quod æquipollens esset potentius, & efficacius, nec non melius prouideret rationi, propter quam appareat modum præscriptum
fuis-

fuisse volitum, nisi secus vel diuersimode pro proponenda à Protomedico pro tempore aliqua rei opportunitate, seù necessitate Collegium decreuerit, concurrentibus tamen omnibus vnanimiter fauorabilibus votis Collegarum interuenientium, quibus noua, quam inposterum proponi contingat, forma electionis à superius ordinata diuersa probetur: Sin minus omnis quicunque actus, qui fiat aduersus modum, & formam, ac ordinationes supra enarratas irritus declaretur à Protomedico, & electio diuersimode facta sit ipso iure nulla, & prorsus inualida. Si autem ex numero supernumerariorum quis fortè remanserit quouis tempore electus, huic (exceptis annis, quibus gesserit Protomedicatum) nihil proinde iuris acquiratur, quod numerariorum proprium sit, sed sedeat, & remaneat in suo eodem loco, etenim iura numerariorum decet illæsa, & integra conseruari, & dum electus gerit Protomedicatum, tantum ei conceditur, quod integris iuribus numerariorum concedi potest.

De Protomedici, aut alicuius Consiliarij absentia, & eiusdem Protomedici vicesgerente. Cap. V.

SIue Protomedicus siue aliquis ex Consiliarijs Collegij nomine absfuerit, habeatur tanquam præsens si ve-

si vero propria causa, Censorum litteris admoneatur vnius anni tantum spatium ad reditum sibi concessum à Collegio, cui si iustam abse ntiæ causam exposuerit, tantum ei spatium concedatur, quantum in rè presenti expedire Collegio visum fuerit:(Eo vero intra terminum præfixi spatij temporis, non redeunte)Collegij legitimè conuocati auctoritate talis absens de primo Magistratu eximatur, & munus eius tribuatur Alteri, cui iure debetur ex Consiliarijs, inter quos in locū illius substituatur, & recipiatur ille, qui ex tribus electis custoditis pœnes Notarium vota numero fauorabiliora obtinuerit, seruatis, quæ seruanda esse in proximis superioribus cap.3. & 4. Statutum est. Admonitio autē facienda à censoribus sufficiat vnica, & non requiratur trina,& quod fuerit facta legitime probetur ex fide baiuli publici eisdem litteris admonitionis reportata, atque a sententia auctoritate, vt supra, Collegij prolata nemini liceat appellare, & qui parere recusauerit eiusdē Collegij auctoritatè amittat omne ius, & locum Collegij, & in eius locum cooptetur alter: Protomedici autem quacunque de causa absentis vsque ad reditum, immissionemque in officium Protomedicatus primi consilarij elapso debito tempore faciendam, vicesgerat idem primus consiliarius, & eiusdem pariter absentis secundus; vtriusque vero absentis tertius. Vnius vero, vel duorum consiliariorum absentium consiliarius, qui superetit aliorum onera portet, & adhoc vt cuncta priuilegia, & patentes, tam à Protomedico quam ab omni-

omnibus Consiliarijs possint subscribi; Collegium, vt Cap. x. inferius statuetur, prouideat, si ita sibi videbitur expedire.

De Iure iurando ab illis Collegis, qui ad primum quatuor Collegarum Magistratum fuerunt euecti praestando. Cap. VI.

QVicunque Collega fuerit euectus ad primum quatuor Collegarum perpetuum Magistratum (conuocato legitimè Collegio) flexis genibus tenens ambabus manibus Euangeliorum volumen cōram Collegis iuret in manibus Protomedici se omnia, & singula Collegij statuta, & decreta obseruaturum, ac nunquam vlli rei assensurum, que Collegij decus, dignitatem, vtilitatem, & iura violet, & imminuat: Et quoties sibi per rotam seù turnum contigerit exercere ordinatim officia trium Consiliariorum, se prò vno quoque officio, suoque munere Protomedico praesto futurum, eumque consilio, & opera ad Collegij statutorum pariter obseruationem adiuturum, caeteraq; quae ad praedicta Consiliariorum officia pertinent fideliter praestiturum: Sin minus sub actualis Protomedici dictione, & potestate futurum, qua debeat mulctari pęnis in peculiaribus Capitulis constitutis, atque contentis, & rursus quoties per eamdem Rotam, seù tur-

num sibi contigerit Protomedicatum assumere, exacto eiusdē Protomedicatus anno, bona fide traditurum Kalendis Ianuarij omnia scripta, & monumenta spectantia ad Collegium Protomedico successori, nec non cunctas (quas forte receperit) pecunias Collegij Camerario. Quod si iusiurandum neglexerit, aut violauerit, Protomedicus illius successor procedat, cognoscat, & iudicet; atque si contra iura Collegij, & iurisdictionem deliquerit; vel scripta, & monumēta spectantia ad Collegium, ac pecunias, quas retinuerit, vnica interpellatione interpellatus non tradiderit, irremissibiliter eximatur de primo quatuor Collegarum Magistratu, & alter substituatur, seruatis, quæ seruanda esse in superioribus Capitulis III. & IV. Statutum est: si autem statuta, & decreta Collegij non obseruauerit, mulctetur pęnis in ijsdem statutis, ac decretis particulariter cōstitutis: Et denique si anno exacto huiusmodi munus protrahere vlterius tentauerit, nec pro viribus curauerit, vt eadem statuta, & decreta Collegij ab alijs obseruentur, careat biennio cunctis tum Collegij, tum Magistratus emolumentis. Omniumque supradictorum cognitio pertineat directè ad nouum Protomedicum, qui illi immediatè successit: & in gradu appellationis ad alteros duos Consiliarios: In tertia denique instantia ad totum Collegium, à quo id ratum, & confirmatum esto, quod ex quatuor pręsentium collegarum partibus tres statuerint, nec à sententia eiusmodi totius Collegij Reo liceat recedere: imò si parere recusauerit, præuia

vnica

vnica citatione transmissa, Collegio priuetur, & alter in eius locum collega legitimè cooptetur, seruatis modo, & forma Cap. I V. superius expressis.

De Protomedici, instructione: Cap. VII.

PRrotomedicus officio abiturus, si quæ ad eius munus spectantia relinquet imperfecta in scriptis patefaciat successori, eumque de illis admoneat, ne quid detrimenti ex eorum ignorantia Resp. aut Collegium patiatur, suęque negligentiæ (si commiserit) decem aureorum pœnam luat.

De Protomedici potestate, ac iurisdictione, & Magistratus dignitate. Cap. V I I I


PRotomedicus, licet ex supernumerarijs sit, primum locum obtineat inter cæteros Collegas, & inter alios Medicos (excepto eo, qui est à secretis Romani Pontificis) in incessu, in sessionibus, in consultationibus: Idemque Protomedicus, & eius tres Consiliarij primum Magistratum gerentes teneantur violaceas vestes induere: Collegium absque Protomedici mandato (exceptis causis ad officium Censorum spectantibus) conuocari non possit, eoque conuocato etiam de Protome-

 dici

dici mandato nihil ſtatui poſſit ipſo abſente, & quicquid ſtatutum fuerit irritum, & infectum habeatur, niſi prius admonuerit in ſcriptis Collegium, ſe id, quod ſe abſente ſtatuetur, ratum habiturum: inſuper in omni negocio ad Collegium ſpectante, de quo ſententiæ Collegarum exquirendæ ſint, duo ſuffragia Protomedicus ferat. Eius autem iuriſdictioni non ſolum Collegæ, verum etiam (quoad ea quæ ad Artem medicum quacunque ratione referuntur, aut pertinent) non ſolum Vrbis, ſed omnium quoque Ciuitatum, & Terrarum tam mediatè, quam immediatè S. R. E. ſubiectarum Medici, & quicunque aliqua ratione medicinam, vel eius aliquam partem exercent, & ipſi quoque Aromatarij tam Vrbis, quam totius ſtatus Eccleſiaſtici, & quicunque aliquid humanis corporibus valetudinis gratia adminiſtrant, ſubijciuntur. Eius muneris eſt res Collegij, tractare, regere, gubernare, dirigere, curareque in primis, vt hæc ſtatuta tam à Collegis, quam à reliquis, ad quos ſpectat, obſeruentur: eoſque, qui obſeruare renuerint, & præterea loquaces, garrulos, contumaces, moroſoſque Collegas, & qui ſibi plus aſſumunt, quam par ſit, admonere, caſtigare, punire, vt in ipſis ſtatutis definitum eſt, & ſi quid accidet, de quò Statutum ſit nullum, ſuo arbitratu (Conſiliarijs tamen conſentientibus) decernat. Eiuſdem eſt diſcordias (ſi fortè inter Collegas oriantur) ſedare, & componere, aut ex ſe ipſo, aut (ſi opus ſit) adhibito Conſiliariorum auxilio, aut Cenſorum, & cæterorum Collegarum, quos præſertim ma-
gis

gis idoneos nouerit, quorum mandatis si qui inter se discordes fuerint non paruerint triennio à Collegio absint; atque interim Collegij emolumentis priuentur. Ad eundem quoque Protomedicum pertinet lites, caussas, discordias, & controuersias quascunque tam ciuiles, quam criminales ad artem medicam, aut ad Aromatariam iuxta formam Apostolicarum constitutionum spectantes (etiam in gradu recursus, & appellationis à sententijs de partibus, quæ fuerint quomodolibet enunciatæ) cognoscere, iudicare, definire: Item maleficos, reos, contumaces pœnis debitis mulctare. Item semel singulis annis, & quoties expedire existimauerit Aromatariorum officinas tam Vrbis (iuxta formam motus proprij Gregorij Decimitertij confirmationis concordiæ, & reformationis Pauli Papæ Quinti) quam totius Ecclesiasticæ ditionis inuisere, & perscrutari diligenter, & tam simplicia, quam composita Pharmaca examinare, de èisque prò sua conscientia ad Populorũ vtilitatem Statuere aut approbando, aut reijciendo, siue id ipse præsens, siue per alios idoneos Medicinæ Professores (Collegas tamen in Vrbe, extra verò etiã non Collegas) efficiat; neque non officinas inuisat eorum; qui solum simplicia medicamenta venalia exponunt, quos Drogherios vulgari nomine vocamus: visitet insuper ipse, vel Collega aliquis ab eo delegatus officinas Chimicorum, & Herbariorum, ac Stufas siccas, & vendentes tabacchum, & acquauitam, & si res vitiosas in iiiis fraudemque aliquam depræhenderit, corrigat, & pu-

niat.



niat. Hoc autem visitandarum huiusmodi officinarum saluberrimum institutum nullus siue Vrbis, siue Status Ecclesiastici Aromatarius, aliasque præfatas exercens officinas recuset sub pœna ipso facto incurren. scutorum aureorum 25. quoties recusauerit, quinimò Ciuitas nulla, vel Oppidum, aut Pagus recusare debet, aut potest: Quod si quæ loca malo consilio, & in propriã perniciem ab hac iurisdictione sese quouis priuilegio, aut quibuscumque litteris, aut fauore munita exemerint, aut eximere tentauerint, vel inposterum tentabunt, quicquid obtinuerint, vel obtinebunt (non citato, vel admonito Protomedico, & Collegij Romani Medicorum iuribus, & rationibus non auditis) irritum esto, nec propterea impediatur Protomedicus, vel quem ipse miserit, quò minus munere suo fungatur, & iurisdictionem suam exerceat. Propterea aliæ Ciuitates Ditionis Ecclesiæ sine auctoritate, & consensu Protomedici (quà de re tamen Protomedicus sine Collegio statuere nihil debet) Collegia instituere; Protomedicos eligere; facultatem medicinæ partem exercendi per litteras, quas patentes vocant, concedere; pœnas aliquas irrogare; & statuta in ijs, quæ ad artem medicam spectant, eiusque ministros, condere non valeant. Quorum omnium gratia, & alijs quoque de causis singulis Protomedicis Generalibus pro tempore existen. Liceat quotannis, quandocunque, & quacunque de causa Bandimenta proclamata, vt vocantur, etiã cum comminatione pœnarum, tam pecuniariæ, vsque ad summã scutorum aureorũ 25.

num-

nummorum, quam corporalium (citra tamen sanguinis effusionem) promulgare cum tubarum sonitu, & affigere consuetarum viarum angulis, & platearum Vrbis & Ciuitatum exterarum, oppidorum, terrarumque omnium dictæ Ecclesiasticæ ditionis. Item idem Protomedicus omnes in arte medica, vel Chirurgica, vel Barbitonsorum delinquentes, aut aliquam dictarum artium eodem Protomedico inscio, aut nolente exercentes; hyrundines, aut cucurbitulas admouentes; secantes venas, aut alio quouis modo sanguinē extrahentes de humano corpore (quisquis ille sit, vel si Doctoris habeat dignitatē tam Physici, quam Chirurgi à quacunque Vniuersitate siuè Collegio, aut alias, & quocunque modo, & vbilibet sibi præstitam) admonere, corrigere, castigare, & punire valeat.

De Protomedico exteras Ciuitates, & alia loca visitaturo. Cap. IX.

QVamuis Collegium sine Protomedico videatur corpus sine capite, publicæ tamen vtilitatis gratia liceat Protomedico (causa prius à Collegio cognita, & approbata) loca quælibet S. R. E. mediatè, vel immediatè subiecta per se ipsum inuisere, vbi tam à Medicis Physicis, quam à Chirurgis (quicunque extiterint) toties, quoties in rebus ad artem medicam spectantibus,

bus, neque non ab Aromatarijs, qui similiter in rebus ad eorum artem attinentibus aliquo crimine conuicti fuerint, pœnas repetere valeat, nec non exterorum Aromatariorum causas cum quibusuis personis ciuiles in ijs, quæ ad Aromatariam spectant, & in prima instantia sine strepitu, & figura iudicij, sola facti veritate inspecta cognoscat, iudicet atque definiat. Ipse quoque illa omnia, quæ per Collegij statuta eidem in Vrbe existenti datur, expediat; sed in quibus Consiliariorum, vel totius Collegij assensus per eadem Statuta necessarius est, eam seruabit rationem, quam sibi discessuro ex Vrbe Collegium constituet, ad quod de hoc rerum genere referendum est, vt prò ratione temporis statuat, quod publicis commodis consultius cognoscet. Ei quoque liceat Notarium, & famulum cum duobus æquis Collegij sumptibus secum ducere. Quod si quis alicubi deliquerit, quò Protomedico accedere non liceat, Reum citari, & adesse iubeat; ipso tamen renuente, idoneum ad causam cognoscendam Virum ipsius Rei sumptibus mittat, cumque erit de tota rè ab eo certior factus, Reum damnet, vel absoluat.



De

De Consiliariorum Officio. Cap. X.

PRimus Consiliarius penes se habeat sigillum, quo litteræ, patentes, & Priuilegia, in quibus Collegij sigillum apponi debet, obsignanda sunt. Cuncti subscribant gratis omnia illorum priuilegia, qui Doctoris gradum à Collegio obtinuerint: subscribant etiam, non tamen gratis, omnes licentias, litteras, & patentes, quibus facultas aliqua medendi Chirurgis, vel præparandi medicamenta Empiricis, aut Chymicis concedi solet. Iidem Viceprotomedici Priuilegium subscribant. Prò his verò subscriptionibus (ea excepta, quam gratis faciendam dictum est) pecuniam præfinitam, iuxta formam inferius descriptam, recipiant. In locum autem alicuius Consiliarij legitime impediti ad obeundum suum officium vel ob infirmitatem, vel ob absentiam illi indultam à Collegio idem Collegium secretis suffragijs Alium, qui tantummodo patentes, seù priuilegia nomine absentis, seù impediti possit subscribere, substituat, & deputet, sed semper sinè præiudicio præactæ apud Notarium asseruatæ electionis, nec illi nouiter substituto, & ita deputato quicquam acquiratur, quod sit proprium primi Magistratus, etiam quò ad emolumenta pro subscriptionibus consueta, nec Protomedicus solus facere possit eiusmodi deputationem sub pœna a nouo Protomedico eius successore illi irro-

ganda priuationis integro anno Collegij, & Magiſtratus emolumentis, & ſubrogatio per eum facta ſit omninò irrita.

De actuali Protomedico cum Anteceſſore Protomedico, & cum Conſiliarijs. Cap. XI.

Actualis Protomedicus (ſoli iuriſdictioni cuius ſubijciuntur, tam qui anno antecedente idem munus Protomedici geſſit, quam alij duo Conſiliarij) cauſas quaſcunque culpabiles anteceſſoris Protomedici, & dd. Conſiliariorum cognoſcat, & (vt in ipſis ſtatutis definitum eſt) denique iudicet. Propterea coram Protomedico primos intra quinque dies Ianuarij liceat criminationes tam ciuiles, quam criminales non ſolum aduerſus anteceſſorem Protomedicum, ſed etiam aduerſus duos alios Conſiliarios (ſi quæ fuerint) recipi à Notario Collegij, & deſcribi in libro huic rei ſpeciatim dicato, quas die decima ſexta idem Notarius eidem Protomedico offeret, qui accuſatum, vel accuſatos de eis admoneat, vt de ſua defenſione conſilium capiant. Curet autem Protomedicus, vt intra menſem Ianuarij accuſatum, vel accuſatos abſoluat, vel damnet, niſi Collegium iuſtis de cauſis tempus prorogandum, Plurium ſuffragijs concurrentibus, ſtatuerit. Quò tempore exacto, ſi accuſatus non ſit condemnatus, ipſo iure abſolutus intelli-

telligatur. Et Protomedicus, exacto anno sui officij, luat pęnam suæ negligentię, nimirū auctoritatè sui successoris careat biennio Collegij, & Magistratus emolumentis: si verò Protomedicus pronunciauerit, ab eius sententia Reo liceat appellare, vt supra Capit. Sexto Statutum est.

De modo accusandi antecessorem Protomedicum, & Consiliarios.
Cap. XII.

LIceat Collegarum cuique tam Antecessoris Protomedici, quam etiam vniuscuiusque Consiliarij nomen ad Protomedicum deferre, si dignum aliquid accusatione ab aliquo illorum commissum cognouerit: Crimina autem intra primos quindecim dies Ianuarij deferant libello descripta. Vni Censorum porrigantur, qui accusatori polliceatur se omninò nulli patefacturum, à quò libellum eiusmodi acceperit, quod si, spreto iureiurando, patefecerit accusatorem Periurij reus esto, & in eum Collegij arbitrio grauiter animaduertatur. Receptum verbo libellum hac forma subscribat, Ego N. Censor fidem facio mè accepisse hodie, qui dies est N. Mensis N. Anni Domini N. hunc libellum aduersus N. superioris anni Protomedicum, seù aduersus N. superioris anni secundum aut Tertium Consiliarium à Collega, qui iurauit (debet Accusator autem

 iura-

iurare se non odio, sed solum conseruandarum Constitutionum nostri Collegij desiderio eum exhibuisse) quem libellum pro munere meo hoc eodem die trado N. nostri Collegij Notario, vt ipse ad Protomedicum afferat, in quorum fidem has manu propria subscripsi anno, mense, & die antę scriptis. Libellum verò Notarius inter reliqua Collegij monumenta reponat, & Protomedico confestim tradat.

De Collegij Camerarij electione, & officio. Cap. XIII.

CAmerarius eligi possit tam ex supernumerarijs, quam ex Numerarijs, dum is, qui eligitur, amplius anno in Collegio fuerit. Electus statim iuret forma superius exposita se munus suum studiose, & fideliter functurum, & anno exacto rationem expensi, & accepti Syndicis redditurum. Præstito iureiurando statim ab antiquo Camerario libros accipiat reddituum, & expensarum, ac reliquum, si quod est, pecuniarum; indeq; pecunias omnes ad Collegium pertinentes recipiat, suoq; periculo custodiat, & prò temporis opportunitatè Collegij, seù Protomedici mandato ab omnibus etiam Consiliarijs subscripto impendat, quodq; supererit Collegis distribuat iuxta formam suo loco inferiùs descriptam. Quod si quid humanum interim ei contigerit liceat Protomedico (si res ita postulet) ab hæredibus non solum repetere Collegij libros (& facto calculo) pecunias,

nias, quas custodiebat, sed etiam illos cogere, & mandare, vt per Marescialllum aliquem ex bonis à Camerario relictis tantum extrahatur, quantum Collegio satis erit, nulla expectata bonorum eius discussione.

De Censorum electione, & Officio. Cap. XIV.

CEnsores duo designentur à Collegio legitimè congregato secretis suffragijs in vltima Congregatione veteris Protomedici: nec designari possint ex illis quatuor, qui gerunt primum Magistratum, sed solum ex reliquis, quot supererunt, Numerarijs. Censor designatus non recuset munus, nisi soluerit Collegij Camerario aureos duos de camera, quod si soluere recusauerit auctoritatè Protomedici careat per annum Collegij emolumentis. Curent Censores, vt tam Protomedicus, & Consiliarij, quam reliqui Collegæ, & & ministri tum Collegij, tum ipsius Protomedici honestè, vt supra dictum est, optimisque moribus viuant, alterum non lædant, suisque probè fungantur officijs: si nouerint Protomedicum, aut aliquem ex Consiliarijs delinquere, primo priuatim, & seorsim, deinde coniunctim admoneant, hortenturque, vt ad officium reuertantur; sin minus accusentur, & puniantur vt Cap. XI. est superius expressum. Verum si nouerint vnum, vel plures ex reliquis Collegis, seù ex ministris Collegij delin-

linquere, quorum reatus Protomedicus cognoscere, & iudicare neglexerit, de re tota referant ad Collegium, quod ipsi Censores conuocabunt vel nolente, & inuito Protomedico; Collegium vero de re per Censores exposita cognoscat, & iudicet. Id vero solum ratum esto, quod ex quatuor præsentium Collegarum partibus tres statuerint, à quà sententia nec Collegarum, nec ministrorum vlli liceat recedere, qui parere recusauerit, præuia vnica citatione, si Collega fuerit Collegio priuetur, & in eius locum alter Collega legitimè cooptetur; si minister, vel Officialis ex titulo quamuis oneroso, sed non Collega, Reus conuictus Collegij sententiæ parere noluerit cadat omni iure, & Collegio liceat alterum, eligere, vt per obitum seruatis seruandis licet. Censorum alter, altero absente, officio Censorio perfungatur solus, perinde ac si vterque adesset, ne mora obsit Collegio; si alter obierit in eius locum alter eligatur à Collegio. Prætereà Censores curent, vt seruetur silentium in Collegio opportunum, garrulos, loquaces arguant, ac si res ferat à Collegio dimittant, consentiente tamen Protomedico; Imò possint ipsi quoque silentium, modumq; tam Protomedico, quam eius Consiliarijs, si quà in re nimis videantur, imponere.



De

De Collegio cenſorio conuocando. Cap.XV.

IIdem Cenſores ſub pœna decem aureorum de Camera Protomedici mandato irremiſſibiliter exigenda bis in anno nimirum Menſe Martij, & Menſe Septembris Collegium conuocent, ad illudque referant de Collegio cenſorio conuocando, & re ſecretis ſuffragijs commiſſa, ſi plures non conſenſerint, res in aliud tempus dimittatur; ſi conſenſerint plures, Cenſorum arbitrio Cenſorium Collegium conuocetur, in eum finem inſtitutum, vt perſcrutetur, ſit, nec ne malum aliquod inteſtinum, quod Collegij eiuſdem dedecori, aut Reipublicæ detrimento eſſe valeat, ſcilicet obſeruandum eſt, ſit, nec ne aliquis Collegarum perditis moribus, diſcolus, & ſeditioſus, qui Collegij tranquillitatem perturbet, & dignitatem, ac bonam famam malis artibus violet, & imminuat. Quod ſi quid huiuſmodi extiterit (quod Deus auertat) liceat in eum ſequenti ratione animaduertere. Notarius in Collegio Cenſorium præcedente, exhibeat ſingulis Collegis longas ſchedulas, in quibus ſingulis Collegarum ſingulorum ſint deſcripta manu Notarij nomina etiam abſentium tot inciſuris, quot erunt nomina, vt facile ſeparari cuiuſque arbitrio valeant, ſuperſitque non nihil earum ſchedularum, vbi ſcriptio nulla ſit, eas autem quilibet ſeruet ad diem Collegij Cen-

Censorij, quo die Collegæ ordine antedicto singuli seorsim ad mensam accedant, & Collegæ illius, quē notandum iure merito censuerint, secreto nomen (crimine tamen, quò illum notandum existimant, addito à tergo schedulæ exhibitæ in prægresso Collegium Censorium Collegio) & illius criminis quoq; conscios, si quos nouerint, nominent; quod si additum non erit, eius notæ nulla ratio habeatur. Si vero neminē notandum statuerint, albam schedulæ portionem saltem in eamdē vrnam demittant. Aperta deinde vrna per Censores (præsentè tamen Protomedico) si cuiusuis nomen tot schedulis inscriptum reperiatur, vt ex tribus Collegarum partibus duas æxequet, ex quocunque ordine sit, seorsim à Censoribus de obiecto crimine admoneatur, quod si postea intra duos menses ab ijsdem Censoribus præuia intimatione personaliter illi exequenda, & in actis prædicti Notarij registranda, loco termini pæremptorij præfigendi, crimen id coram ipsis Censoribus eorumdem existimatione non diluerit, censoria auctoritatè confestim, nulla alia expectata declaratione, mittatur foras, nec in collegium, nisi post annum exactum admittatur, interimque, vt muneris, & honoris, ita fructus nullius particeps esto. Anno vero exacto in Collegium reuocetur, quod si idem rursus simili modo notatus fuerit; triennio similiter à Collegio procul esto, quod si tertio hoc illi euenerit inperpetuum Collegij honore priuetur, & omni spè restitutionis abolita, in eius locum Alter, seruata forma inferius describenda, eligatur, & admitta-

mittatur, nec de eius postea restitutione cuiquam, ne ipsi quidem Protomedico verba facere fas esto: qui secus facere agressus erit, si Protomedicus sit, nulla alia intercedente declaratione, eadem censoria auctoritate confestim Magistratu priuetur, & in eius locum ille, cui iure debetur, substituatur Protomedicus, seruatis modo, & forma superius descriptis, & a Collegio remoueatur, nec nisi anno exacto reuocetur, omnique interim fructu, & emolumento priuetur. Qui Protomedicus non erit Collegio, & emolumentis simili modo priuetur. Si nomen Protomedici, aut alicuius ex Consiliarijs, qui primum Magistratum gerunt vna, vel pluribus inscriptum schedulis in vrna dicta reperietur, hoc Censores irritum, & infectum existiment, & silentio penitus inuoluant. Si vero à paucioribus notatus aliquis fuerit, Is ab ijsdem secretò de ea re admoneatur, vt probè perspecta, & explorata conscientia ad officium spontè reuertatur. Caueant autem singuli Collegæ, abstineantque ab iniustis criminationibus, ac ne odio, & vltionis desiderio Collegas suos innocentes criminentur, quod si quis fecerit, sciat inprimis se periurum esse, deinde memento Deum O. M. cordium perscrutatorem scelus impunitum non relicturum, seq; (si forte vnquam detegatur) falsæ criminationis pœnam Collegio daturum, etenim hæc de Collegio censorio statuta sunt ad tumultus sedandos, non autem ad nouos excitandos, & ad bonam Collegij famam conseruandam, non vt aditus pateat infamiæ Collegarum inno-

centium; Nam Collegij decus est positum in singulorum Collegarum vitæ, ac nominis integritate.

De Syndicorum electione, & officio. Cap. XVI.

PRotomedicus cum toto Collegio teneatur in prima ineuntis anni congregatione secretis suffragijs maioris partis Collegarum duos eligere Syndicos. Proponat autem singulos omnes Collegas, præter antecessorem Protomedicum, & Collegij Camerarium anni præteriti: quibus præterea in hac electione nec ius esto ferendi suffragia: Syndici electi rationes dati, & accepti Camerarij prædicti, & Viceprotomedici, aliorumque Ministrorum Collegij sedulò examinent; ac si nihil commissum, aut omissum repererint illos absoluant: Si verò Alicuius errorem, aut aliquam fraudem detexerint; errorem corrigant, & fraudem cognoscant. Sententiam tamen Syndicorum Protomedicus examinet, & iudicet, & executioni demandet; admissa appellatione ad primum Magistratum; & in tertia rursus instantia ad totum Collegium, quod, antequam pronunciet, eligat duos Collegas, qui de meritis causæ commoniti referant postea ad Collegium, à quo secretis suffragijs, re per maiorem partem decreta, causæ perpetuum silentium imponatur.

De

De Syndicorum agendi modo cum Collegij Camerario, Viceprotomedico, reliquisque Collegij Ministris. Cap. XVII.

CAmerarius Collegij anno sui officij elapso intra mensem Ianuarij anni sequentis (nisi iustum adsit impedimentum à Collegio cognoscendum) ad Syndicos electos dati, & accepti libros afferat, alioquin eius morositas auctoritate Protomedici scutorum 25. pœna mulctetur. Syndici vero, Notario pręsente, Camerarij rationes cum eius anni actis, & à Collegio decretis in proprio libro descriptis, aut Protomedici mandatis manu etiam Consiliariorum subscriptis conferant; atque si repererint rationes rectè se habere, Camerarium absoluant, & absolutio à Syndicis, vt moris est, ad perpetuam rei memoriam in libro Camerarij registretur: Si quid vero extet dissonum, dubium, vel falsum, vel indebitè iustificatum, nisi sese intra quindecim dies Camerarius expurgauerit, ab ijsdem Syndicis condemnetur: Similiter agatur cum Viceprotomedico, & alijs Collegij ministris: temporis vero, quo cum Camerarij, tum aliorum rationes à Syndicis sunt expectendæ, certus terminus non esto, sed vel Syndicorum vel Collegij arbitrio decernatur.

De Promotorum Electione, & Officio. Cap. XVIII.

DVO Promotores designentur à Protomedico, qui studiosum examinandum comitentur, & vel alternatim hoc munere fungantur, vel Alter alterius absentis partes expleat Protomedici arbitratu; sed liceat quoque studioso gradum petenti Promotorem alium (suis tamen expensis) nominare; at, quem Protomedicus elegerit, Is Doctoris tradat insignia, nisi in gratiam studiosi Protomedicus, aut qui vicem eius absentis gesserit secus statuerit, integro tamen manente iure fructus percipiendi Promotori, quem Protomedicus elegerit: studiosus autem examinandus à sinistris alterius Promotoris, (si ambo adsint) accedens, recedens, stans, sedens ponatur, & alter Promotorum studiosum admoneat, instruat, dum examinatur, hortetur, & tueatur.

De electione, & conditione noui Collegæ. Cap. XIX.

QVandocunque aliquis Collega loco cesserit de noui Collegæ electione ante dies viginti, à quo die Protomedicus hoc agnouerit, numerandos

dos non agatur : Ius eligendi esto ipsius Protomedici (licet esset ex Supernumerarijs) cum solis Collegis, quotquot adfuerint, Numerarijs, ex quibus Collegium completum esse veteres testantur constitutiones. Si quis horum abfuerit, locum eius supernumerarius non accipiat. Non eligatur autem aliquis, qui prius à Protomedico hoc in scriptis non petiuerit, & de eius nomine, & conditionibus in pleno Collegio legitimè (licet ob alias quoque causas) congregato bis actum non fuerit, interpositis inter primam, & secundam Congregationem decem saltem diebus, & tunc eligendus admoneatur à Protomedico de conditionibus in Collega eligendo requisitis. Conditiones autem sunt probitas inprimis, & morum integritas; adsit eruditio non vulgaris; non habeat Is beneficium Ecclesiasticum personalem residentiam requirens; defectu natalium non laboret, nec parentibus erubescat sordidioribus, vel vtrisque, vel altero; nec aliquo mutilatus membro, aut deprauato ridiculus videatur; nulla vnquam fuerit hæresi, aut aliqua iuris, vel facti infamia notatus; nec alteri in ludo litterario inseruierit; nec sordidam artẽ aliquando exercuerit; numquã studiosè fecerit homicidiũ; numquã contra Romanum Medicorum Collegium, aut contra iura eius molitus sit, aut moliri tentauerit; maior natu sit annis triginta; tam viuentis Collegæ, quam actualiter Exercentis Aromatariam filius, aut filij filius, aut frater, aut Nepos non sit; habeat consuetas litteras, seù priuilegium ad docendum se ante decennium in ali-

qua

qua celebri vniuersitate, gradum Doctoris assequutum esse: In censu annuo aureos habeat non minus centum: habeat domicilium in Vrbe, in qua verisimile sit eum moraturum perpetuò. In omnibus autem his inuestigandis duo Collegę ab eisdem Numerarijs designati mensem integrum impendant, nisi secus iustis de causis idem Numerariorum Collegium decernat. Non fiat autem hæc inuestigatio, nisi cauerit eligendus, se ratam electionem habiturum deponendo apud Collegij Camerarium centum quinquaginta vulgares scutatos, quod si plures petant, cæteris antedictis seruatis, eligatur Is, qui idoneus magis videatur, & hic solus caueat, vt dictum est. Transacto mense, si dictorum petenti nihil obstiterit, eligatur, & admittatur. Si quid obiectum erit, quod deleri non possit, Alius eo posthabito eligatur. Integrum tamen sit dictis Collegis Numerarijs ab hac lege iustis de causis aliquem soluendi secretis suffragijs eorumdem Collegarum voluntate inspecta, vt ex tribus partibus duæ consentiant.

De ratione seruanda in electione noui Collegæ, cum vnus, & cum plures petiuerint. Cap. XX.

SI vnus tantum petiuerit, electio irrita sit, quam duæ saltem ex tribus suffragiorum partibus non probauerint: Si plures petiuerint nullius electio rata habea-

beatur, cui maior Collegarum pars non consenserit: si plures suffragijs pares extiterint, & maior Collegarum Pars consenserit, ea ratio seruetur, vt Collegæ vel defuncti, vel quacunque alia causa honesta sponte cedentis loco Collegij filius, aut Nepos (cæteris paribus, quæ in eligendo requiruntur) omnibus præferatur tam Romanis, quam exteris: Si sanguinis vinculum non sit, Romani (cæteris item paribus) præferantur externis, de qua re Collegium iudicet, & decernat: Si omnes Romani, vel omnes exteri (cæteris paribus) senior præferatur, vel Is, à quò maiorem Collegio dignitatem, & vtilitatem expectandam Collegæ sibi persuaserint, seruata tamen forma præcedentis constitutionis.

Quæ seruari debent in admissione noui Collegæ. Cap. XXI.

Collega nouus, quò die admittendus est (Congregato ex auctoritate Protomedici Collegio) de loco primum eminenti aliquod medicinæ, vel Philosophiæ argumentum suo arbitratu, interpretetur. Duas quoque conclusiones defendat, alteram ex medicina, alteram ex naturali Philosophia, quas Protomedicus spacio ante congruo ad duos ex Collegis mittet, qui de eis cum Collega admittendo duabus saltem argumentationibus propositis disputabunt. Inde vero Notarius ante Protomedicum deducat illum, sistetque, vbi stans

& aper-

& aperto capite audiet, iam ante de eius electione actum esse, tunc vero vocatum esse, vt admittatur, & reliquum esse, vt iureiurando interposito polliceatur, se omnes Collegij constitutiones, & decreta omnia obseruaturum. mox igitur flexis ante Protomedicum genibus, & librum Euangeliorum apertum manibus tenens consuetum iusiurandum iuret. Postea recipiatur ad amplexus, & oscula singulorum, initio sumpto à Protomedico. Præterea assignet ei Notarius locum inter Collegas postremum, ab eo retinendum, donec alius Collega nouus post eum electus admittatur. Demum, post quam consederit, breui oratione gratias agat, & modestè, quæ de se videbuntur Collegio polliceatur: quibus dictis, silentium ei imponatur, vt neque eo die, neque duobus alijs, in quibus Collegium proximè congregabitur vlla de re sententiam dicat.

De iure iurando noui Collegæ. Cap. XXII.

EGo N. polliceor me statuta, & decreta Collegij diligenter prò viribus obseruaturum, & ab alijs, vt obseruentur curaturum, nulla in re eidem Collegio contrarium facturum, Collegarum nulli obfuturum: Collegij eiusdem decus, dignitatem, & vtilitatem procuraturum, & nihil petiturum ab eo præter ea, quæ mihi statutorum iure debentur. Quod si hoc ius iurandum

dum vnquam neglexero, mè sponte, & omni strictiori modo in rebus statutarijs subijcio singulorum trium Magistratuum, & Collegij potestati, & iurisdictioni, à qua nullo vnquam prætextu, aut quæsito colore possim deflectere. Itaque ad horum omnium obseruantiam omni meliori modo me obligatum constituo, & præterea spondeo, voueo, & iuro, ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

De pecuniæ á nouo Collega receptæ distributione. Cap. XXIII.

CAmerarius quas pecunias nouus Collega deposuit, hoc modo distribuat. Supernumerarijs singulis quindecim argenteos iulios vocatos tribuat. Notario autem decem, quod reliquum est diuidat in tot æquales portiones, quot sunt in Vrbe Collegæ Numerarij, memor semper, vt Protomedico duplum detur eius, quod Vni Aliorum dabitur. Quod si Protomedicus Supernumerarius sit, detur ei altera portio Numerarij; altera vero Supernumerarij. In hac autem distributione Supernumerarij locum non habeant, & in locum absentium non succedant. Qui vocati die admissionis absque iusta causa à Collegio cognoscenda; non adfuerint, huius pecuniæ partem non habeant. Bidellis autem Collega nouus aliquid suo arbitratu largiatur.

De Collegis ab Vrbe absentibus. Cap. XXIV.

Collegarum absentium ab Vrbe nulla habeatur ratio in muneribus,& in distributione pecuniarum, vnde quicunque Collega ex numero etiam quatuor primi Magistratus sine licentia, & consensu Collegij continuo integro triennio absuerit ab Vrbe, nec eo tempore Collegio interfuerit, amittat omne ius, & locum Collegij tamquam si numquam fuisset Collega; & in eius locum Alter substituatur,seruatis modo, & forma electionis in Cap. xix. superius expressis. Et qui sine licentia, & consensu Collegij continuo anno integro absfuerit ab Vrbe, nec eo tempore Collegio interfuerit, interimque eodem absentiæ tempore aliquis ex Collegis se antiquioribus seù Numerarijs, siue supernumerarijs quomodocumque loco cesserit, tunc absens in suo, quem actu obtinet, loco persistat, & careat pro prædicta vacatione omni prorsus iure optandi dictum locum, in quem dicti absentis vice subintret Collega ille, qui cæteris alijs in Vrbe præsentibus fuerit magis Antianus, & hic non solum cuncta emolumenta inde secutura iure percipiat, sed prætereasupra prædictum absentem ascendat, & locum in sedendo etiam retineat. Vnde eidem absenti non suffragetur aliqua exceptio, & signatim reditus eius ad Vrbem, antequam sibi proximior antedictus

ctus immissus collegialiter fuerit in actualem possessionem loci inter Numerarios, siue inter supernumerarios, vt supra vacati. Ad iustificandas vero prædictas Collegarum absentias sufficiat probatio ex libris ipsis Collegij, quod prædicti Collegæ numquam eo tempore interfuerint alicui Collegio intra illud idem tempus conuocato, neque prædicti absentis possint allegare, se ex iusta causa discessisse sine licentia, quinimo ad se liberandos à contumacia annali, seu triennali teneantur docere, se ipsos pro maiori parte, aut anni, aut triennij non absfuisse: etenim, qui pro maiori parte, aut anni, aut triennij absfuerint, statuitur habendos esse prò continuò absentibus. Si vero breue tempus, quod annum integrum non excedat, etiam si absque licentia Collegij absit ab Vrbe aliquis, qui domicilium habeat in Vrbe, & præterea de eius reditu ante sex menses spes aliqua sit, Ratio de eo habeatur in omni quacunque electione ad primum Magistratum peragenda, tanquam si fuisset præsens, ac si forte remanserit electus, seruetur cum eo, vt Cap. v. statutum est: si nulla, vel exigua spes erit eius reditus ante sex menses, prætereatur. Interim si absit Numerarius etiam cum licentia, & consensu Collegij, Supernumerarius inter præsentes Numerarijs propinquior succedat in partem pecuniarum dumtaxat, quæ ex Doctorum creatione percipiuntur: si quis breuius tempus absfuturus est, quod nempe quadraginta dies non pertranseat, portio pecuniæ ex eadem Doctorum creatione perceptæ sibi debitæ inter præsentes di-

 uida-

uidatur æqualiter, nisi in pecuniæ Collegij penuria (ob sumptus aliquos publicæ Collegij vtilitatis causa faciendos) Protomedicus, & Consiliarij statuerint eam portionem à Camerario fore retinendam.

De Collega maiorem dignitatem adepto. Cap. XXV.

SI quis ascendit ad altiorem dignitatem, aut obtinuerit beneficium, seu præbendam Ecclesiasticam personalem in Vrbe residentiam requirentem, non propterea desinit esse Collega, sed habeatur de eo ratio, vel absentis, vel præsentis, quemadodum, & Aliorum Collegarum:

De Morte Protomedici. Cap. XXVI.

SI Protomedicum, quo tempore Magistratum gerit, mori contigerit, fiet quod ante Cap. 2. Statutum est. Camerarius autem curet ad hæredes defuncti Protomedici cerea dupleria vocata sexdecim mitti pondere librarum sexaginta quatuor Collegij pecunijs empta, & eodem tempore ab hæredibus recipiantur omnia, & singula ad Collegium spectantia, quæ apud ipsum Protomedicum extabant, & præsens Notarius scrip-

ſcriptura publica hoc actum teſtetur. Quòd ſi cera dicta quacunque de cauſa non mitteretur, Hæredibus Protomedici mortui eſto ius illius pretium à Collegio exigendi, dum ei, quæcumque ad Collegium ſpectantia Protomedicus retinebat, integrè reſtituerint; quod ſi aliqua ratione contumaces ſe hæredes præbuerint, Ius eſto Protomedico ſucceſſori in Protomedici defuncti bona per ſuos miniſtros exequi, bonorum eius diſcuſſione non expectata. Et celebretur ſolemne ſacrum cum interuentu omnium Collegarum, ac triginta aliæ Miſſæ non ſolemnes.

De nuptijs, & funere Collegarum, & feſtis SS. Coſmæ, & Damiani, & S. Pantaleonis, ac commemoratione omnium Defunctorum. Cap. XXVII.

QVando Collega vxorem duxerit Collegij nomine ac ſumptibus donetur ſcatulis aliquot confectionum ponderis librarum ſexdecim, & Protomedico duplum. In exequijs vero Collegæ defuncti mittantur ad hæredes ceræ dupleria octo libras pendentia triginta duas; Quod ſi non mitterentur, hæredibus ius eſto ea, vel pretium eorum à Collegio repetendi. Celebretur inſuper ſolemne ſacrum cum interuentu Protomedici, & cæterorum Collegarum, nec

non

non alia (eadem die) triginta ſacra non ſolemnia, ſi quid Protomedicus omiſerit, aut Camerarius defecerit incidat in pœnam dupli. Item in feſto SS. Coſmæ, & Damiani ad templum, quod dicatum eſt in foro Boario, ad vſum miſſæ ſolemniter decantatæ Camerarius mittat dupleria duo ceræ pondere librarum octo. In feſto quoque S. Pantaleonis curet Protomedicus, vt in templo Collegis commodiſſimo ſacrum ſolemne Collegij ſumptibus fiat, neque non intra octauam commemorationis omnium defunctorum pro Collegis, & Collegij miniſtris defunctis ſacrum ſolemniter Collegij ſumptibus celebretur; adſintque ſemper, tum Collegæ omnes, tum Miniſtri. Qui non acceſſerit aureo nummo mulctetur, niſi fuerit iuſtè impeditus, cuius impedimenti Collegium Iudex eſto; ſi vero Protomedicus, aut Camerarius defuerit incidat in pœnam dupli.

De Collegij conuocatione, & Collegarum ornatu. Cap. XXVIII.

PRotomedico pręſente Collegium conuocare nemo poſſit, niſi res ad Cenſorum munus pertineat: Abſente vero, aut mortuo Protomedico, primi Conſiliarij conuocandi Collegium ius eſto, eoque abſente Secundi, hoc etiam abſente Tertij Conſiliarij. Denique Cenſorum, vel Alterius, abſente altero, ſi Cæteri non adſint. Protomedicus præſens ægritudine, vel alia iuſta

cau-

causa impeditus iubeat prò rei necessitate Collegium conuocari, & negocia ab ipso Collegio expediri: si res vrgeat, & appareat aliqua Protomedici negligentia, liceat per Consiliarios Collegium conuocari, Idque ratum habeatur, perinde ac si Protomedicus adfuisset. Quisquis Collegium secus, ac statutum est conuocauerit, Is Collegæ dignitate perpetuò priuatus esto, & Alter in eius locum eligatur, & eiusmodi Collegij acta irrita, & infecta sunto. Solus Protomedicus, & eo absente, reliqui ordine supradicto pro re nata Collegio proponant, de qua re agendum sit: nec cuiquam liceat impedire, quin hac ratione seruata proponatur, & quod de ea re decretum fuerit peragatur. Quicumque quacumq; ratione Collegij decretum impedire tentauerit auctoritate Protomedici sex menses abesto à Collegio, & omni careat interim Collegij emolumento, & Collegij decretum ratum habeatur. Collegæ (propterea, quod solent semper occupationibus detineri) pridie, quam Collegium congregandum sit, à Bidellis admoneantur voce, aut syngrafa ad domum singulorum delata, cum aliqua etiam admonitione de grauitate negocij tractandi, quod si res vrgeat aliqua, & occasio sit præceps eadem etiam hora, & momento Collegium conuocare licebit, & quod Protomedicus cum illis, quotquot adfuerint, faciendum statuerit, ratum esto, acsi à Collegarum maiori parte actum esset, alias irritum esto, quicquid actum erit, nisi presentium in Vrbe Collegarum ex tribus partibus duæ saltem conuenerint.

Nemo

Nemo autem ſine bona Protomedici venia ex Collegio, niſi rebus cunctis peractis, Collegioque dimiſſo diſcedat: ſi negocium publicum tractatur, vt Collegæ noui admittendi, aut promouendi alicuius ad gradum Doctoris, aut quacumque de cauſa Collegium in loco publico ſit congregandum, ſinguli Collegarum Bauarolis vocatis ex Variorum pellibus inſigniantur.

De pœna Collegarum non comparentium, aut ſeró aduenientium. Cap. XXIX.

OMnes adeſſe debent totiès, quotiès admonebuntur. Qui ſine iuſta cauſa (quam ſcripto àd Protomedicum ſignificare, & Collegium ſecretis ſuffragijs cognoſcere debet) abſuerit, munus ei nullum deferatur, & careat fructibus, ſi qui eſſent in ea Congregatione diſtribuendi, & portio eius inter præſentes diuidatur, Quod ſi fructus nulli ſint diuidendi, quinque denarijs mulctetur, quod ſi ſoluere recuſauerit, per annum ſine fructu à Collegio abeſto, Qui poſt recitationem punctorum, vbi Doctor aliquis creandus eſt, aut in fine cuiuſque Congregationis iuſtè non impeditus acceſſerit, pro abſente habeatur, & mulctetur ſimiliter, quæ pœna eos quoque manet, qui ante tempus, Protomedico nolente, diſceſſerint, vel grauius plectentur arbitrio Protomedici, cui ſit cuncta ſupradicta cognoſcere, & iudicare.

De

De modo aliquid decernendi. Cap. XXX.

DE qualibet re proposita singuli Collegæ suo quisque loco, omissa omni morosa oratione, sententiam dicant, vel Alicui, qui prius dixerit, assentiantur; qui plura, quam par est, dicere videbitur, Protomedicus, aut Censores ei silentium imponant; Cum diuersæ de eadem re sententiæ fuerint, Protomedicus singulas secretis suffragijs subijciat, sumpto ab ea principio, in quam plures consentire animaduerterit; ea verò rata, & firma habeatur, in quam maior pars discesserit. Quod si nulla à maiori parte probari videbitur, nulla eligatur, nihilque absque secretis suffragijs decernatur, nihil sola viua voce ratum, aut firmum habeatur; sed omnia secretis suffragijs firmentur. Nemo igitur committat quin calculum, vel affirmantem, vel negantem in vrnam demittat: liceat autem absentis Collegæ sententiam voce proponere, de quacumque re agatur, sed non liceat cuiquam plures calculos, quam vnum, in vrnam demittere, Protomedico excepto; nec pro alio quisquã suffragium ferat; si commiserit, periuri reus esto, & si fecisse conuictus fuerit, duos menses sine fructibus à Collegio abesto.

De Collegarum ad negocia deputatione. Cap. XXXI.

SÆpe euenit, vt Vni, vel Paucis quibusdam impònendum sit onus aliquod pro vniuerso Collegio peragendi. Omnibus igitur (nisi quis habeat iustam excusationem) versetur vrna, aut illorum saltem, qui illi oneri ferendo aptiores videbuntur: Qui ergo suffragijs superiores eusserint, Ijs (licet alioquin Magistratum aliquem gererent) laborem recusare non liceat, qui recusauerit aureo nummo de Camera Protomedici auctoritate mulctetur, quem si intra octauum diem Camerario Collegij non soluerit, eadem auctoritate à Collegio per annum sine fructibus abesto, quo exacto restituatur, si mulctam indictam soluerit. Nemini autem liceat vlterius progredi, quam sibi commissum fuerit, nec liceat cuiq; se inferre, & intromittere ad aliquod tractandum, quod sibi nec à Protomedico, nec à Collegio commissum sit; qui in hoc deliquerit puniatur ea forma, quæ in sequenti capite descripta est.



De

De pœna negocia Collegij temere diuulgantium. Cap. XXXII.

QVi Collegij negocia, quæ Protomedicus præceperit reticenda, temerè diuulgauerit, re primum à Protomedico, deinde à Consiliarijs, & in tertia instantia à toto Collegio cognita, duorum intercedente iureiurando Testium (quorum nomina occultabuntur) prima vice pœnam subeat quatuor aureorum de Camera; altera duodecim; Tertia verò Collegij dignitate in perpetuum priuetur, & Alius in eius locum eligatur.

De ratione agendi in causis Collegarum. Cap. XXXIII.

SI agendum sit de Collegæ alicuius crimine; vt de pœna alicui irroganda, vel de eiusdem absolutione, aut de quacumque re, quæ in controuersiam venire possit, & de qua singulorum sententiæ sint exquirendæ, & in suffragia eumdem sit, Collega huiusmodi (etiam si fuerit de quouis magistratu) nequeat vllum ferre suffragium, quinimo interim, dum sua res agitur, egrediatur, nec intrò, nisi Protomedico iubente, reuertatur.

De Collegij facultate in creandis Doctoribus,& ratione in eorum creatione seruanda. Cap. XXXIV.

NEmini licere cuiuscumque gradus, & dignitatis existat, etiam S. R. E. Cardinalibus in Vrbe, & suburbijs, ac districtu quemquam ad Philosophiæ, & Medicinæ, vel coniunctim vel separatim, aut licentiaturæ gradum promouere, sed hoc Iùs vnico Archiatrorum Romano Collegio integrum seruandum esse Summorum Pontificum diplomate cautum est sub pœnis in ipso diplomate enarratis, de qua re Protomedicus illos admonebit, si quos iura Collegij frangere intellexerit. Qui autem dignitate Doctoris ornari voluerit, inprimis doceat dedisse operam Philosophiæ, & si cupit creari doctor etiam in Medicina, studuisse in aliqua publica vniuersitate saltèm per biennium medicinæ, exhibitis suorum ipsorum Lectorum testimonialibus documentis. Postea adeat Protomedicum, à quo discet primùm, quænam sibi præstanda sint, deinde accipiet litteras ad quatuor examinatores designatos, tam si gradum vtrumque, scilicet Philosophiæ simul, & Medicinæ postulauerit, quam si vnum dumtaxat petiuerit; licet enim Philosophiæ gradum solum conferre, licet & Medicinæ, si quem in alia vniuersitate Philosophiæ gradum obtinuisse constiterit: Licet quoque Chirurgos digni-

tate

tate Doctoris decorare, nulla Philosophiæ gradus ratione habita. Si examinatores idoneum ad examen publicum prò gradu exequendo repererint, per litteras easdẽ clausas, & proprio sigillo munitas ab Altero ex Examinatoribus per suum famulum (non autem per studiosum) trasmittendas certiorem faciet Protomedicum, qui huiusmodi approbationis litteras Collegij Notario conseruandas dabit: examinare autem quoscumque, ac quomodocumque doctorandos in Vrbe, & eius districtu nemini alteri liceat præterquã Archiatris huius nostri Collegij ad hoc designatis ad formam Bullæ Clementis Septimi sub pœna scutorum 25. aureorum de Camera ad pias causas iuxta Collegij arbitrium eroganda. Studiosus vero (exceptis Collegarum filijs, vel Nepotibus, ex filijs, qui Collegio nihil soluere debent, sed tantum Chirothecas de more singulis largiri, & ministris Collegij satisfacere) Collegij Camerario soluat scutatos vulgares triginta, si gradum vtrumque petiuerit: si alterum tantum viginti, de qua re certior Protomedicus Camerarij litteris factus, diem, & horam publici examinis suo arbitratu constituet (licet enim circitèr horam vigesimam congregari Collegium consueuerit) Protomedico tamen vel Candidati precibus, vel alia causa licebit horam aliam præscribere, pridièque eius diei summo mane bina sorte electa puncta ad interpretandum studioso tribuet, curetque interim, vt Notarius, & Bidelli de eadem re certiores fiant, qui punctorum exemplaria notata die, & hora constituta dicti examinis

minis ad Vicegerentem Eminentissimi Cardinalis Camerarij, & ad singulos Collegas afferant. Notarius, & Bidelli eadem die præsto adsint. Puncta autem ex prima, vel secunda Sectione Aphorismorum Hippocratis, & ex libro primo, & secundo Physicarum Auscultationum Aristotelis, si gradum petat vtrumque, eligantur; si verò solius medicinæ, duo pariter puncta, alterum ex Aphorismis Hippocratis, alterum ex libro Artis Medicæ Galeni eligantur; si solius Philosophiæ, ex eiusdem Aristotelis libris alterum, & ex libris Posteriorum alterum; si Chirurgiæ tandem, proponatur explicandus Hippocratis Aphorismus aliquis ad eam facultatem pertinens, vel caput aliquod ex libro artis Medicæ Galeni, quo de ea re agatur.

De Fidei professione. Cap. XXXV.

Die, & hora constituta adsit cum Promotore studiosus coram Collegis in loco solito congregatis, vbi ante omnia publicè recitabit Fidei professionem, quam fel. rec. Pius Quartus Pont. Max. ex Sacrosanctæ, & Oecumenicæ Tridentinæ Synodi decreto à singulis promouendis recitandum Iure iurando interposito mandauit: Itaque ea recitata, vel coram Vices Cardinalis Camerarij Gerente, vel Protomedico sacra tenens Euangelia iurabit: deinde omnibus, qui adsunt, dimis-

dimissis, soli supersint cum Vicesgerente, & studioso examinando; ac Promotore Collegæ: Horumque ianuis clausis suo quisque loco consideat, & silentio indicto, studiosus sedens, detecto capite, suas ad puncta proposita interpretationes recitet.

De modo argumentandi, & casum proponendi. Cap XXXVI.

Recitatis punctis, vnus ex Collegis Supernumerarijs, qui videlicet inter præsentes vltimus extiterit, vel Alius, Protomedici arbitrio, binis argumentis dilucidè expositis aduersus ea, quæ studiosus recitauerit, illum benignè, & humanè ad disputandum prouocet, quibus ille stans, & modestè respondens, suæ eruditionis specimen exhibebit. Disputationi autem institutę Protomedicus modum ponat. Disputatione finita, Vnus ex Collegis, cui Protomedicus iusserit, casum ægri simplici aliquo morbo laborantis eidem studioso breuitèr, & dilucidè proponat, vt prædictionem explicet, & curandi rationem; quod ille stans similiter perficiet. Prò gradu vero Chirurgiæ, omissa disputatione, satis esto punctum interpretari, & de casu proposito edisserere.



De

De modo approbandi, & reprobandi. Cap. XXXVII.

HIs peractis studiosus cum suo Promotore egrediatur, & clausa denuò ianua, liceat cuique, si occasio fuerit, in studiosi laudem, & defensionem dicere, deinde Collegæ singuli suam de eius approbatione, vel reprobatione sententiam secretis suffragijs de more aperiant, demisso in vrnam à Notario circumlatam calculo vel approbante, vel reprobante. Post autem Notarius coram Vicesgerente, vel eo absente, coram Protomedico omnibus inspectantibus aperiat, & calculos extrahat, qui fideliter numerentur; Quod si maior pars suffragiorum reprobauerit, absque honore dimittatur: si paria sint suffragia approbantium, & reprobantium (iubente Vicesgerente, vel eo absente, Protomedico) pronuncietur à Nòtario magna voce ianuis patefactis approbatus ex gratia: si pars maior approbauerit, sed ita, vt minor sit duabus ex tribus Collegarum partibus, pronuncietur approbatus pro maiori parte: si duabus ex tribus præcisè fuerit approbatus, pronuncietur approbatus ab omnibus nemine penitùs dissentiente: si plura quam duo suffragia reprobauerint, approbatus pluribus duarum ex tribus partibus, pronuncieturq; approbatus ab omnibus nemine penitùs discrepante: si omnibus calculis approbatus fuerit, aut duobus dumtaxàt reprobanti-

bantibus pronuncietur viua voce approbatus; iustis enim de causis sancitum est à duobus calculis honorem, quem Collegium deferre potest, maximum non impediri. Ij vero qui ex gratia fuerunt approbati, aut pro maiori parte, & alij quoque (si Collegio videbitur) quos viua voce dignos non censuit, iureiurando interposito polliceantur Protomedico se bienniò saltem diligenter eisdem studijs operam daturos. Admoneanturque (si secus fecerint) se Doctoris dignitate, & medendi facultate perpetuò priuandos fore, ac priuilegium Doctoratus non nisi post biennium expediatur. Quod si Protomedicus, & Consiliarij secus fecerint, Collegij arbitrio puniantur, re per Censores relata. Notarius verò ea diligenter adnotet, & in priuilegijs eam præcisè approbationis formam exprimat, quam Collegium decreuerit, alias grauiter mulctandus. Postquam vero pronunciatum fuerit, studiosus cum suo Promotore, & præsente Populo ad insignia Doctoris recipienda intrò reuocetur.

De modo insignia deferendi. Cap. XXXVIII.

VBi omnes ingressi fuerint à Vicesgerente, aut, illo absente, à Protomedico stans capite detecto, gradus, vel graduum insignia sibi deferri postulet, cui respondens vel Vicesgerens, vel Protomedicus breui

 sermo-

sermone Collegij decretũ exponat, & addat se iuxta decretũ illud Doctorem illũ creare declarare, & pronunciare, & Promotori eius facultatem impartiri, vt debitis illũ insignibus exornet: & subinde Promotor assurgens, breui, & apta oratione de noui Doctoris laudibus prius habita, Doctoris insignia largiatur, scilicet illum sedere primùm iubeat tanquam in cathedra Doctorum; deinde libros primùm clausos, mòx, & apertos exhibeat, tum annulum ei in annularem immittat digitum; præter eà laureæ vice coronæ Biretum capiti imponat; insuper pacis osculo complectatur. Postremò paternam benedictionem largiatur, & prosperitatem imploret ab Altissimo.

De iure iurando post collata insignia, & amplexibus Collegarum. Cap. XXXIX.

HIs expeditis nouus Doctor ante pedes Vicesgerentis, vel Protomedici proiectus, clara voce pronunciet se spondere primò nunquam se in aliquo futurum contra S. R. E. Maiestatem, nec contra Populum Romanum, nec contra præsens suorum Dominorum Collegium; nihil peracturum, quod eiusdem Collegij iura, seu priuilegia, seu iurisdictionem, seu eiusmodi statuta quocunque modo lædat, violet, & immi-

immnuat, interimque nullius ægri curationem aggressurum, neque antequam fuerit Matriculæ huic Collegio commissæ ritè ac debitè ascriptus. Tunc vero pauperes gratis curaturum; omnes, qui ad manus suas deuenerint, primùm ad pœnitentiæ Sacramentum suscipiendum hortaturum, & aliàs iuxtà Constitutionem fel. rec. Beati Pij Quinti Pont. Max. per DD. Medicos obseruandam, ab Alexandro Septimo confirmatam ad eos post tertiam diem, nisi confessi fuerint, non rediturum; diligentèr, & omni studio ægrotos curaturum. Quodque si iusiurandum neglexerit se fore puniendum non solum pœna periurij, sed præterea scutorum 25. aureorum de Camera, alijsque pœnis Collegij statutarijs à Protomedico cognoscendis, atque exigendis. Et, his dictis, tangens vtraque manu sacrorum Euangeliorum librum addat, se ità spondere, vouere, ac iurare. Post hæc Vicesgerens, aut Protomedicus surgentem amplectatur. Deinde suo quisque Collegarum loco ad eosdem amplexus recipiat, Quibus peractis redeat ad locum consuetùm, & quam breuissimè pro honore, quem assecutus est, Collegio gratias agat, & demum, Deo comitante, discedat.



De distributione pecuniæ à gradum Petentibus solutæ.
Cap.XL.

EX triginta scutatis prò Philophiæ, & Medicinæ gradu solutis duo dabuntur Vicesgerenti. Tria Protomedico Numerario . . Supernumerario autem Protomedico iulij quindecim, & portio insuper, quæ illi vti Supernumerario debetur. Promotori à Protomedico designato iulij quinq;vltra portionem aliàs sibi debitã. singulis Collegis reliquis Numerarijs iulij quindecim. Numerarijs Philosophiæ singulis iulij sex. Supernumerarijs singulis iulij tres. Notario iulij duodecim. Pro solo autem gradu Philosophiæ, aut Medicinæ, aut Chirurgiæ ex viginti scutatis Vicesgerenti denarij seu iulij decem. Protomedico, si Numerarius fuerit, viginti; si vero fuerit Supernumerarius decem vltra portionem sibi vti supernumerario debitam. Promotori iulij quinque vltra portionem aliàs sibi debitam. Reliquis Numerarijs singulis iulij decem. Numerarijs Philosophiæ singulis denarij, seu iulij quatuor. Supernumerarijs singulis iulij duo. Notario iulij octo. Bidellis iulij quindecim. Quod autem supererit cum reliquis Collegij pecunijs asseruetur, suoque tempore distribuatur simul cum massa, vt Cap. inferius dicetur.

De

De Paupere gradus petente. Cap. XLI.

PAuperibus gradus petentibus Collegium gratis largiatur, qui tamen debent de sua paupertate primùm iureiurando, & duobus testibus ad duos productis Collegas speciatim electos à Protomedico (Collegio annuente) & postea formitèr examinatis docere. Duo autem Collegæ (re perspecta) ad Collegium referent, à quò secretis suffragijs decernetur, an hoc sit illis concedendum; cui vero concessum fuerit, Is ad examen prodeat seruatis, quæ seruanda esse antea Cap. xxxiv. statutum est: ac si inuenti fuerint non vulgaris idoneitatis, approbentur, nec huius Beneficij mentio vlla fiat in eius Priuilegio. Idem tamen Vicesgerenti, Protomedico, & Promotori, singulis videlicet, bina paria Chirothecarum, & reliquis Collegis par in singulos dabit. Non solum autem Vicesgerens, sed Notarius, & Bidelli vti bebent eadem liberalitate; liceat tamen Notario, & Bidellis aliquid accipere, si facultas dandi non nihil eis suppetat.



De Doctore publicè creando. Cap. XLII.

QVi cupit gradum Doctoris assequi publicè, duplum eius, quod aliàs, soluat Collegij Camerario: quatuor Collegarum examini subijciatur, cæteraque seruentur, quæ aliàs seruari solent, sed ianuis patentibus, & populo præsente fiant omnia. Collegæ gestent vocatam Bauarolam ex variorum pellibus, & cum cæteris insignibus nouus Doctor pellibus consimilibus exornetur. Insignia vero de loco tradantur eminentiori. Quod si Vicesgerens sit Vir Ecclesiasticus, cappam gestet vocatam Canonicalem. Doctorem autem nouum recedentem cum tubis, & alijs Musicis instrumentis Collegæ in domum suam reducant, quibus singulis tunc par præbeat Chirothecarum, & scatulam, vt dicitur, confectionum: Protomedico tamen, & Vicesgerenti duplum.

De gradu licentiati. Cap. XLIII.

GRadus Licentiaturæ vocatus in Medicina simul, & Philosophia à nonnullis aliquando petitur, non negandus, sed petunt quoque nonnulli in sola Philo-

Philoſophia, qui ſimul eſt concedendus ſimiliter, ſed in ſola medicina nemini, qui prius in Philoſophia non obtinuerit, concedatur. Petens autem ſimiliter, vt ante ſtatutum eſt, ſubijciatur examini apud quatuor examinatores, tam ſi vnum dumtaxat, quam ſi ambos poſtulat gradus: Recitet puncta, & reliqua omnia peragat, quæ Cæteri; ſed abſentibus Viceſgerente, & Bidellis, nec inſignia tradantur, ſed tantum pronuncietur à Protomedico viſis Collegarum ſuffragijs approbatus, vel viua voce, vel alitèr, Cuius approbationis Notarius in ſolito libro decretorum mentionem faciat; ſoluat autem Collegij Camerario dimidium eius, quod pro gradu Doctoris ſolui conſueuit. Quod ſi idem deinceps gradum ſibi ſolemnitèr deferri petiuerit, ſoluat reliquam portionem, & abſque examine, præſentibus Viceſgerente, ac Bidellis, inſignia de more conferantur.

De Hæbreis. Cap. XLIV.

SI Hæbreus mandato Sanctiſſimi, vel gradum Doctoratus vel licentiaturam petiuerit, ſeruatis cæteris omnibus, quæ à Chriſtianis ſeruanda ſunt pro gradibus eiſdem conſequendis: ſoluat Collegij Camerario triplum eius, quod de Chriſtianis ſtatutum eſt, niſi ſecus maior pars Collegarum decreuerit; Aliàs abſque mandato Sanctiſſimi nulla Hæbreis Medicinam exercendi facultas eſto.

De

De pecuniæ diſtributione, de qua in proximis tribus Statutis. Cap. XLV.

CAmerarius pæcunias receptas tam ab Hæbreis, quam à petentibus Licentiaturam, & ab Ijs, qui publicè Doctoris gradum, vt ante dictum eſt, poſtulant, diſtribuat ſeruata forma diſtributionum ante Cap. IV. memorata ad proportionem depoſiti.

De reprobando. Cap. XLVI.

SI contigat aliquem à maiori ſuffragiorum parte reprobari, Promotor, qui foris ſtudioſum comitatur, per Notarium de Collegij ſententia certior fiat. Idemque de eadē re ſtudioſum admoneat, & quoad fieri poteſt honeſtiſſimè domum deducat; Populoque præſenti ſignificet honeſta quadam de cauſa decretum Collegij alio die faciendum eſſe; ſtudioſumque hortetur, vt alio die præſentiore animo ſit, atque interim ad nouum examen ſe paret, & muniat ſtudioſiùs, & diligentiùs. Quod ſi iterum audiri velit, nouis propoſitis punctis, audiatur, atque ſi pariter indoctum ſe oſtendat, & à maiori parte Collegarum reijciatur, dimittatur. De pecuniæ vero reſtitutione, vel ſi audiendum iterum, vel

non

non, nè verbum quidem facere liceat. Quod si postea tertiò audiri velit nouas Camerario pecunias soluat, perinde, ac si tunc primùm accederet.

De Obstetricibus. Cap. XLVII.

FÆminis nullo modo dentur litteræ patentales, aut facultas aliqua exercendi medicinam, aut quamlibet eius partem, sed tantumodò exercendi munus Obstetricum: Hanc quidem facultatem possit Protomedicus solus impertiri, verùm vbiquè perpetuam, nullam vnquàm annuam, antea tamen cognita earumdem petentium mulierum sufficientia aut ab ipsomet Protomedico, aut à Collega, quem idem Protomedicus examinatorem deputauerit: Idoneisque fæminis obstetricandi dumtaxàt licentia concedatur, addita semper clausula, quod ipsis vetitum sit, quicquam per os exhibere medicamentum, etiam si corroborans fuerit; nec in ijs, quæ ad Medicum spectant, se ingerant, sub pœna pro omni, & singula contrauentione 25. aureorum ipso facto incurrenda, nec non suspensionis per biennium munus obstetricum exercendi. Si verò Protomedicus vel obstetricandi licentias alitèr, quam modo, & forma superius expressis, vel etiam alias licentias fęminis expediuerit, tales licentiæ sint prorsus nullæ, & idem Protomedicus puniatur auctoritate noui Protomedici priuatione per annum Magistratus, &

 Colle-

Collegij emolumentis. Pro expeditione autem litterarum patentalium (quamquam perpetuarum) Obstetricis, Protomedicus accipiat decem iulios, easque solus subscribat, & paruo sigillo obsignet.

De ijs, qui aliquam medicinæ partem exercendi facultatem per solas patentes litteras petunt. Cap. XLVIII.

QVibuscumque herbarum, radicum, corticum, seminum, & fructuum, simpliciumque aquarum ex istis distillatarum, nec non puluerum, oleorum, vnguentorum, & aliorum medicamentorum, vel simplicium, vel compositorum venditoribus, quos Examinator à Protomedico deputatus primùm approbauerit, per litteras vendendi tantum facultas detur, clausula specialiter apposita, quod sine licentia in scriptis alicuius medici matriculati non vendant cuiuis alteri personæ, quam solis Aromatarijs approbatis, seù alijs simplicistis abortiua, venefica, somnifera, atque purgantia. Litteræ autem eiusmodi expediantur siuè annuæ à solo Protomedico, pro quibus soluantur iulij decem: siue Perpetuæ ab eodem Protomedico cum Consiliarijs, pro quibus soluantur Collegij Camerario iulij XXVI. Protomedicus vel per se, vel per alium Collegam saltem semel in anno, & quotiès sibi videbitur expedire visi-

visitet prædictorum Apothecas, & res, quas in his asseruant, inspiciat, inter pulueres præcipuè tabaccum, & inter aquas distillatas degustet aquæuitas, siuè simplices, siue compositas, quemadmodum recognoscat potiones Ciocolatæ, Caffè, & Rosolij, cæterorumque similium, atque si quid corruptum, vel improba aliqua qualitate vitiosum inueniet, proijciat, & in pœnam iuliorum quinque pro quolibet proiecto deliquentes condemnet. Chymicis, seu spagyricis, nec non compositorum distillatoribus, quos etiam Examinator à Protomedico deputatus primùm approbauerit per litteras præparandi facultas detur, nec non vẽdendi ipsis Aromatarijs approbatis: sed cæteris personis non nisi cum recepta in scriptis alicuius Medici matriculati, illisque proindè sinè tali recepta sit vetitum quicquam per os exhibere. Litterę vero Patentales nequeant Chymicis, alijsque prædictis concedi à solo Protomedico, sed requiratur pro maiori suffragiorum parte Collegij consensus, nec possint expediri annuæ, sed solum perpetuæ, & prò expeditione soluantur Camerario Collegij scuta septem aurea. Similiter Circulatoribus, seù parabolanis petentibus facultatem componendi, & dispensandi Electuaria contra venena, aquas Rorismarini, & alia, quæ per os assumuntur, similia, Patẽtes perpetuę paris expeditionis scutorum septem aureorum prò maiori suffragiorum parte Collegio annuente, non autẽ à solo Protomedico concedantur, in quibus speciales apponantur clausulæ, nimirum, quod eiusmodi eorum Electuaria semper in Vrbe,

nec alibi componere debeant, & singulis annis ad certam quantitatem à Collegio illis definiendam conficere cum onorario soluendo ab ijsdem Circulatoribus iuliorum decem vnicuique ex duobus Collegis ad hoc specialitèr deputatis à Protomedico, qui cuncta ingredientia sedulò inspiciant, recognoscant, approbent, ac ponderationi, triturationi, nec non compositioni simul assistant. Deinde ijdem Circulatores fermentationi debitæ incumbant, nec nisi elapsis à compositione quadraginta diebus prædicta eadem Electuaria vendere possint, & dispensare. Præterea additis quoque sequentibus clausulis, quas tanquam genericas, atque communes statuimus quoque apponendas omnibus, tum quæ simplicium, & compositorum, vt supra, medicamentorum venditoribus, tum quæ Chymicis concedantur, patentibus: nimirum, quod nèc se medici officio immisceant: nec exponant tabellas descriptis nominibus, quibus prædicta medicamenta soleant prodesse; nec descriptas, aut typis excussas medicamentorum facultates emptoribus vel vendant, vel largiantur, vel ostendant, nisi Protomedicus ipse concesserit, & postremò in cunctis prædictis patentibus exprimantur nomina medicamentorum tam simplicium ingredientium, quam compositorum, quæ vel vænalia vel quomodolibet parabilia, vt supra definitum est, conceduntur. Itaque si venditores prædicti, aut Chymici, seù Spagyrici, nec non Distillatores, aut Circulatores secus fecerint, & in præmissis quocunque modo deliquerint,

con-

conceſſa ipſis vendendi, & reſpectiuè præparandi facultate priuentur, ac pro qualibet in præmiſſis omnibus, & ſingulis contrauentione aureis nummis 25. mulctentur. Quinimò tam Chymici, ſiue Spagyrici, nec non diſtillatores, quam ſimpliciſtæ, & quæcunque aliæ perſonæ Protomedici auctoritate puniantur pœna corporali (iuxtà delicti qualitatem, & exigentiam) quotieſcunque ab exhibitione rei veneficæ, vel abortiuæ, vel ſomniferæ, vel quomodocunque euacuantis per ipſos commiſſa ſubſequatur aliquod humanæ vitæ diſcrimen, ſiue notabile damnum. Quibus omnibus Protomedicus inuigilet, & ſi licentias, ſeù patentes eiuſmodi alitèr, quam modo, & forma ſuperius determinatis expediuerit, licentiæ tales ſint prorſus nullæ, & idem Protomedicus priuetur noui Protomedici auctoritate pro quacunque ſua commiſſione per annum Magiſtratus, & Collegij emolumentis. Camerarius autem prò ſubſcribendis prædictis litteris ſoluat, eademet ſeruata proportione, quę pro ſubſcribendis perpetuis, aut in leuibus, aut in grauibus Chirurgiæ caſibus patentalibus litteris ſtatuetur inferiùs.

De Chirurghis. Cap. XLIX.

NVlla Philoſophiæ gradus ratione habita; liceat quidem, vt ſupra ſtatutum eſt, dignitate Doctoris, aut Licentiaturæ decorare Chirurgos, quos quatuor

Colle-

Collegæ examinatores approbauerint inprimis idoneos, ac de his habeatur ratio modo, & forma in Cap. xxxiv.& xliii. superiùs expressis. Pro Doctoris in Chirurgiæ dignitate soluantur Collegi Camerario scutati vulgares viginti; Prò Licentiatura tantummodò decem. Qui autem citra Doctoris, siue Licentiaturæ gradum, Chirurgiam, aut eius aliquam partem exercere voluerit; Hunc Protomedicus ad vnum examinatorem deputatum transmittat, atque pro Examinatoris responso, & testimonio, vel neget, vel quod petit, concedat, Illumque in leuibus, aut grauibus casibus ad Chirurgiæ exercitium habilitet. Litteræ vero patentes in casibus grauibus non nisi perpetuæ expediantur. At in leuibus tum perpetuæ, tum etiam ad tempus, & annuæ: verùm in vtrisque nominatim exprimantur casus, qui conceduntur, vel qui excipiuntur, nè fraudi, aut temeritati locus offeratur. Itaque in patentibus pro leuibus casibus interdicatur Arteriotomia, & concedatur licentia vel extrahendi sanguinem à venis totius corporis, vel applicandi tam siccas, quam scarificatas vbique cucurbitulas, vel medendi dropaces, rubificantia, & vessicantia, quæ non degenerauerint in vlcera depascientia, siue gangrænam; vel applicandi pro prima vice vulneribus stuppam albuminibus ouorum imbibitam, seu olea defensiua, aut Anhodina; vel inurendi occipitio cauteria in casibus vrgentibus; vel affigendi hyrudines venis corporis. Cæterum sic patentatis in leuibus prohibitum sit reliquis alijs Chirurgiæ insignioribus operationibus

nibus

nibus manus apponere. Quibus vero conceditur perpetua facultas exercendi in grauibus Chirurgiæ casibus, excipiantur Difficillimi, casusque grauissimi, requirentes tùm intelligentiam, tum peritiorem manum Doctoris, seù Licentiati, nimirum vel curatio hydrocephali per incisionem: vel resecatio membrorum sphacelatorum: vel Arteriarum alligatio, & exustio: vel trapanatio, cranijque carratio: vel paracenteses aut in Abdomine, aut in Thorace exequendæ: vel trituratorum in magnis fracturis ossium, aut ab vtero mortui fœtus extractio: vel Natarum extirpatio: vel mandibulæ, seū luxatarum vertebrarum repositio: vel denique ossium carie læsorum curatio. Liceat tamen similes eiusmodi litteras, tam in leuibus Chirurgiæ casibus, quam facultatiuas in grauibus concedere Absentibus, de quorum peritia Protomedicus Doctoris alicuius litteris certior factus sit, quæ litteræ à Notario diligentèr seruentur. Qui dentes extrahunt accipiant litteras in leuibus, siue annuas à solo Protomedico, & ei soluant iulios quinq; siue perpetuas ab eodem Protomedico (Consiliarijs consentientibus) & soluant Collegij Camerario iulios viginti sex. Qui suffusiones, seù Catharactas manu curant: Qui testes eximunt: Qui cathetherē seu ceream candelam in vessicæ collum intromittunt: Qui ex vessica calculum, aut lapidem extrahunt. Alijque, Qui similia opera singularia profitentur, perpetuas in grauibus litteras expediant. In cunctis autem, quæ conceduntur tam ad graues, seù leues casus, quam pro ipsomet Do-

ctora-

ctoratu, & Licentiatura patentalibus litteris exprimatur, Chirurgicis esse omnimodè vetitum exhibere, aut exhibendum præscribere aliquod medicamentum ore sumendum: ac Quicumque eiusmodi litteras petunt, &obtinent, teneantur semper consulere Doctores Physicos Matriculatos, qui doceant eos, an præter opus manuum necessaria sit opera Physici, quod si Medicos, vt supra matriculatos conuocare neglexerint, aut facultatem sibi ipsis impertitam quomodocumque excesserint, amissione priuilegij, ac facultate, & aureis nummis 25: pro qualibet contrauentione mulctentur, neque ab infirmo, quem curauerint, mercedem petere possint. Protomedicus solus concedat facultatem annuam in leuibus casibus, & pro expeditione medium aureum accipiat. Nequeat tamen, nisi adsit Consiliariorum consensus, expedire perpetuas, seu in grauibus, seu etiam in leuibus facultates, & ideo has omnes subscribant Protomedicus, Consiliarij, & Notarius, illisque Collegij sigillo cera obsignata, & consueta arcula inclusa appendatur: quod si quid horum defuerit pro falsis, & subreptitijs habeantur. Pro expeditione perpetuæ patentis in leuibus soluantur Collegij Camerario iulij viginti sex. Alterius perpetuæ autem in grauibus scutati octo vulgares, quas pecunias idem Collegij Camerarius recipiat, nec vllæ litteræ perpetuæ ab aliquo subscribantur, nisi Camerarius propria subscriptione in folij angulo, se pecuniam recepisse, testatus fuerit. Pro subscribenda perpetua facultate in leuibus per huiusmodi litteras tradita,

dita, Collegij Camerarius soluat primo Magistratui, seù tertio sui Consiliario iulios decem. De Notario inferius dicetur. Pro subscribenda verò perpetua in grauibus facultate prædictus Collegij Camerarius soluat eidem primo Magistratui, seù tertio sui Consiliario iulios quatuordecim; de cæterò, quæ supererunt, pecunias cum reliquis Collegij Camerarius asseruet. Barbitonsoribus etiam, nisi fuerint Collegij Vrbis medicorum auctoritate examinati, & approbati, non liceat sanguinem mittere vlla ratione siue sectis venis; siue admotis hyrudinibus ad quamcumque corporis partem; siue scarificationibus, & cucurbitulis; sub pœna scutorum decem pro qualibet contrauentione. Liceat vero examinatis, & approbatis, sed iubente Doctore matriculato, & non aliter. Verùm ad examen non admittantur nisi authentica fide docuerint, se antea (saltèm trienniò) frequentasse Alterum ex Archiospitalibus Vrbis, & mòx approbati, qui fuerint, accipiant perpetuas litteras patentales in leuibus. Quorum omnium supra expressorum exactæ executioni Protomedicus sedulò inuigilet, atque si prememoratas patentes diuersimodè, quam vt supra Statutum est, expediuerit, auctoritate noui Protomedici emolumentis Collegij, & Magistratus bienniò pro qualibet, & singula contrauentione mulctetur. Possit tamen suo arbitratu semèl tantum litteras patentes in grauibus concedere, ac, si libet, semèl etiam in leuibus, durante anno sui Protomedicatus.

De ratione animaduertendi in eos, qui aut sine facultate, & licentia, aut absquè eo quod fuerint legitimè matriculati, medentur. Cap. L.

CVm per testes idoneos, & fide dignos constiterit aliquem siuè Laicum, siue Clericum, siuè Regularem sine debita facultate mederi: Is à Protomedico xxv. aureis de Camera nummis mulctetur. Etenim tam Clericus, quam Regularis in Ijs, quæ pertinent ad Medicinæ exercitium, subijciuntur iurisdictioni Protomedici vsquè ad predictæ pœnæ pecuniariæ etiám executionem inclusiuè, qua totiès mulctetur, quotiès deliquerit. Verum si Laicus rursùs deliquerit, attentis contrauentionum qualitate, numero, ac Persona, cui medeatur, pœna corporis afflictiua citrà sanguinis effusionem puniatur arbitrio Protomedici iuxtà sui ordinarias facultates, siuè antiquitùs, siuè nouitèr à Sancta Sede hucùsque sibi impertitas, atque concessas: Neque hæc dispositio tantùm pertineat ad eos, de quibus proximè statutum est, sed ad omnes, & singulos etiam Philosophiæ, & Medicinæ Doctores, qui quomodolibèt, & quacunque auctoritate gradum Doctoris acceperint siue in Vrbe, siue extra Vrbem, nec solum in ali-

quo

quo generali Gymnasio, siue ab aliqua publica Vniuersitate, seù quocumque Collegio cuiuscumque gradus, & dignitatis existat, sed etiam ab ipsomet nostro Romanorum Archyatrorum Collegio. Hi namque cuncti, vt supra, Doctores, qui velint praxim medicam exercere in Vrbe, aut in Ciuitatibus, Terris, locisque quibuscumque Status Ecclesiastici Sedi Apostolicæ mediatè, & immeditatè subiectis, oportet primò ascribantur Romanæ matriculæ huic nostro Collegio commissæ, atque obid conueniant Protomedicum, & coram Eo, ac quatuor Examinatoribus subijciant semetipsos examini iuxta formam Constitutionis, & motus proprij S. D. N. Clementis X. Quapropter qui Lauream Doctoratus in Vrbe fuerit assecutus praxim medicam in ea, vel in Statu Ecclesiastico illicò exercere non audeat, neq; ad examen recipiatur, nisi præter Priuilegium sui validi Doctoratus doceat trienniò à die eiusdem sui Doctoratus didicisse exercitiũ medicę praxis sub alicuius Medici directione, nec quilibet Medicus hanc docere valeat, sed tantũ Illi, qui fuerint ad id approbati à Protomedico, & à Collegio Medicorum Vrbis, ita vt cæterorum fides nullius momenti existant. Qui vero extra Vrbem ad gradum Doctoratus in arte medica fuerit promotus, si in Vrbe praxim medicinæ postulat exercere, proferat tantum priuilegium sui Doctoratus, sed non admittatur ad examen, nisi elapso integro quinquenniò à die sui Doctoratus: Si autem eamdem in statu Ecclesiastico cupit exercere, integro solo trienniò elapso à die

ſui Doctoratus, & huius priuilegio antea paritèr exhibito, admittatur ad examen. Porrò omnium examen fieri debet à quatuor Examinatoribus à Collegio deputatis coràm ipſomet Protomedico, à quo idem Philoſophiæ, & Medicinæ, vt ſuprà, Doctor examinandus accipiat in ſcriptis quatuor Medicinæ caſus ſeù puncta: Primum nempè ſuper altero ex morbis particularibus. Secundum ſuper aliquo ex febribus. Tertium ſuper altero ex morbis Mulierum, ſeù Puerorum. Quartum deniquè, & vltimum ſuper facultatibus medicamentorum; atque his itidèm in ſcriptis intrà ſpatium trium horarum teneatur remotis libris (cunctis etiam manuſcriptis) reſpondere, & mòx coram eodem Protomedico legat tam eadem aſſignata puncta, quam eorum reſponſa prædictis Examinatoribus. Qui (conſideratis conſiderandis) prò ſua conſcientia ſecretis ſuffragijs vel reprobent, vel tribus ſaltèm fauorabilibus approbent. Protomedicus verò nullum ſuffragium ferat, ſolam præſentiam præſtet, ac curet, vt omnia prædicta, ſicut diſpoſitum eſt, peragantur, & vt Notarius de cunctis ſe roget, aſſignataque puncta cum eorum reſponſis intèr Matriculæ monumenta reponat, fidèque cuſtodiat. Idonei autem reperti, (præſtito iuramento iuxtà Conſtitutionē Beati Pij Quinti, & addito alio iuramento ſe nihil peracturos, quod eiuſmodi Collegij iura, ſeù priuilegia violet, & imminuat, & in ijs, quæ ſpectant ad artem medicam, ſub iuriſdictione Protomedici, & eiuſdem Collegij permanſuros) aggregentur Romanæ Matriculæ, cui niſi quis fue-

rit

rit aſcriptus, & vt ſupra approbatus, quamquam fuiſſet inſignitus laurea Doctoris, non audeat in Vrbe, nec in Ciuitatibus, Terris, Locisque Eccleſiaſtici Status Apoſtolicæ Sedi mediatè, vel immediatè ſubiectis praxim medicam exercere, ſub pœna pro prima contrauentione ſcutorum xxv. aureorum. De cæterò ſi mederi, & contrafacere perſeuerauerit, debeat corporalitèr eodem modo, quò ſupra ſtatutum eſt, pari pœna puniri, tanquam ſi non fuiſſet vlla Doctoris laurea inſignitus, vigore nimirum facultatiui diplomatis fel. rec. Iulij Tertij, nec non motus proprij eiuſdem S.D.N. Clementis X. Protomedico, ac noſtro Collegio nupèr conceſſi. Nec Protomedicus ſinat, vt Medici venientes ad Vrbem valeant ibidèm mederi, niſi Matricula fuerint, vt ſupra, approbati, & prætereà eorum praxis, atque peritiæ ſpecimen quoque dederint, iuxta formam alterius Conſtitutionis fel. rec. Gregorij Decimitertij de Medicis ad Vrbem venientibus, ſed omni ſtudio curet, vt cuncta omnia prouidè ſuperius ſtatuta ad vnguèm obſeruentur, ſecùs ſi fecerit, auctoritate noui Protomedici prò vnaquaque ſui negligentia priuetur per annum tam Magiſtratus, quam Collegij emolumentis,



De

De Anatome exercenda.
Cap. LI.

QVoniam ad curationem corporum ægrotantium summè necessaria est Anatomes peritia: Protomedicus, quotiès sibi videbitur, curet eam publicè fieri: Eiusque Ius esto ad eam spectandam inuitandi, & cogendi omnes Chirurgos, & Tonsores, qui venarum sectionem profitentur, atque soluendam debitam pro necessitate pecuniæ portionem: Ne autem fraus committatur aliqua, duo eligantur probi Viri (Collegio consentiente) qui acceptum, datumque describant, & eiusdem rationem reddant, quod si quid pecuniarum supererit, pro animabus eorum, quorum cadauera secabuntur, pauperibus erogetur. Erit autem primò curandum, vt Sanctissimi D.N. Vicarius cōsentiat, deinde, vt Senator, vel Vrbis Gubernator cadauer vnum, vel plura secanda concedat. Præterea, vt pro rerum, ac temporum statu ad euitandam confusionem agendi modus præscribatur, tum locus paretur, tum instrumenta opportuna, & necessaria. Item Lectores eligantur, qui alternis diebus interpretentur: vel Vnus, qui interpretandi onus totum suscipiat. Adhæc duo eligantur, Alter ad incidendum, ad ostendendum idoneus Alter: Vnus quoque præstò sit, qui cadaueris partes disectas ad sepulturam afferat. Peracta tandèm Anatome, iusta defuncto

functo soluantur, & pro anima eius viginti saltèm missæ celebrentur: Cuique autem liberum esto priuatim Anatomen exercere, sed publicè nec humanorum Cadauerum, nec Brutorum animalium liceat vlli (inscio, & inuito Protomedico, & Collegio) ac si quis hoc statutum contempserit (curabit autem Protomedicus, si quis publicam Anatomen facere decreuerit, vt is admoneatur, se abstineat) decem aureis de Camera mulctetur, exceptis publici Gymnasij Romani Professoribus.

De Collegij in eius Ministros auctoritate. Cap. LII.

Collegium, & Protomedicus aliquibus Ministris indigent, quorum fidei necessariò multa sunt cõmittenda, qui sunt Viceprotomedicus, & comes eius, Aromatarius; Secretarius, siue Notarius; Fiscalis, aut aliàs Commissarius aliquis; Bidelli; & Mandatarius; ne igitur contra publicam vtilitatem, & Collegij dignitatem aliquid Ministrorum huiusmodi culpa committatur, Ius esto Protomedico, & si res ità postulet, ipsi Collegio huiusmodi Ministrorum in ijs rebus, quæ ad Collegium quomodolibet spectant, commissa examinandi, & in eos pœnis à iure statutis, vel à Collegio decretis animaduertendi.

De

De Viceprotomedici electione, & officio, & eius comite Aromatario. Cap. LIII.

SI Collega Viceprotomedici munere in visitandis Aromatarijs Prouinciarum fungi annuatim velit, repulsam patiatur nullam, nisi aliàs magna de causa Syndici, vel alij Iudices sic in eum animaduertissent, vt repelli iure possit. Si plures Collegæ petiuerint secretis suffragijs res decernatur, & in quem Plures consenserint, Is deputetur. Medicus non Collega petens idem officium, non eligatur, nisi constet bonis moribus eum præditum esse, & mediocritèr eruditum, ipsumque Doctoratus gradum saltèm intrà quinquennium adeptum fuisse. Eligatur autem secretis suffragijs maioris partis, eique conficiantur litteræ patentes à Protomedico, Consiliarijs, & Notario subscriptæ, & sigilli appensione munitæ. Non eligatur, qui pro se Romæ sponsorem non habeat idoneum, qui polliceatur electum probè, & fidelitèr, quæ sui muneris sunt, omnia præstiturum, & de omnibus Collegio rationem redditurum: Pecunias quacumq; ratione exactas in Prouinciarum visitatione ante Vigiliam Sanctissimæ Natiuitatis D.N. Iesu Christi integrè, & bona fide Collegio, seù eius Camerario traditurum. Sub sola ditione Protomedici, Consiliariorum, & Syndicorum futurum, nec extrà Collegium à Prædictorum senten-

ſententia recurſurum:ſi ſecus fecerit pro quacumque contrauentione prouiſionis ei aſſignatæ priuatione mulctetur. Eademque paritèr polliceatur Aromatarius Viceprotomedicum comitaturus. Præterèa Viceprotomedicus in Prouincijs officinas Aromatariorum viſitet diligentèr:In his,quæ ad Artem Medicam pertinent, Reos, & maleficos puniat, lites dirimat tam intèr medentes,& ægros de mercede, quam intèr Aromatarios, & eos quibus medicamenta vendiderunt. Chirurgorum, & Aromatariorum litteras patentales videat; Annuas tantum, in annum alterum confirmet; perpetuas non attingat, niſi ſi quæ falſi ſuſpicio oriatur, de quà re ſpeciatim ſcribat ad Protomedicum; perpetuas Chirurgis Ipſe non concedat, mulctandus grauitèr ſi conceſſerit Syndicorum arbitrio: Licentias verò prædictas non concedat annuas, niſi Romæ impreſſas, iuxtá formam à Protomedico ſibi tradendam, nèc aliàs alitèr in ſcriptis concedere poſſit ſub pœna priuationis officij, & prouiſionis. Aromatarijs petentibus perpetuas de more tradat: à ſingulis Aromatarijs, quorum officinas viſitauerit, accipiat iulios quinque pro vacchetta Protomedico, & Vrbis Collegio debita, iuxtà Bulla fel. record. Clementis Septimi, & præterèa victum pro ſe atque comitibus de more, ac modeſtè. Collegium Ei,& Aromatario certum ſtipendium, ſeù prouiſionem conſtituat, & tempus idoneum ad viſitandum omnes Prouincias præſcribat, à ſe acta per dies ſingulos diſtincta deſcribat, & in reditu ad Vrbem offerat Protomedico. Idem au-

tem Viceprotomedicus, qui non fuerit Collega, iterùm eligi non possit, nisi septennió exacto.

De Officio Notarij. Cap. LIV.

NOtarius quicumque Collegio inseruiuerit iuret, se statuta diligentèr, ac fidelitèr seruaturú; scribat gratis omnia, quæ spectant ad Collegium, & Officium Protomedici; Omnes licentias, siue litteras pro medendi facultate concessas tàm annuas, quam perpetuas in registro verbatim describat, nisi ex annuis alia similis eidem esset concessa, tunc enim satis erit solius meminisse nominis, & diei cum commemoratione libri, & folij, vbi antea descripta fuit: seruet diligentèr tùm Examinatorú scripta, quibus Protomedicum certiorem faciunt de doctrina, vel Eorum, qui Doctoris gradum postulant, vel Eorum, quibus per litteras patentes mederi permittitur: Tùm etiam scripta quæcumque ad Matriculam pertinentia, puncta nimirùm à Protomedico Examinatis assignata, eorundemque Examinatorum in scriptis responsa. Notarij merces pro singulis licentijs perpetuis in grauibus sint iulij decem: pro Ijs verò in leuibus perpetuis sint iulij quinque: pro vnaquaq; fide, quæ aut Medicis, aut Chirurgis extrà Vrbem degentibus pro matricula fieri contingat sint iulij duo. Adsit autem omnibus Congregationibus, & describat gratis

gratis in registro quæcumque in singulis earum agi, & decerni solent. Rursùs describat in Collegio, quos Collegium creauit, nomina Doctorum, Item diem, & annum, quibus gradum obtinuerint, clausulam approbationis, & Testes, nequè non puncta recitata, & præsentium Collegarum nomina, ac Promotoris iuxta receptam iamdiù consuetudinem: & tandèm describat omnes Philosophiæ, & Medicinæ Doctores, qui Matriculæ fuerint ascripti, eorumdem approbationem, diem, & annum, ac Protomedici, nèc non Examinatorum nomina in libro ad hoc speciatim retento. Atque recepto Doctoratus Priuilegio, vt supra statutum est, pro rogitu, & eius labore accipiat iulios quinque ab eodemet Doctore, qui matriculæ inscribitur. Deniquè adsit visitationibus Aromatariorum, & notet proiecta, & deficientia, ac decreta quæcumque à Protomedico, vel ab eius Deputatis fient, ac cuncta proiecta Aromatarij visitati sigillo munita custodiat. Pro subscriptione litterarum, aut Priuilegij Viceprotomedici iulios decem accipiat, nisi Collegij sumptibus hoc faciendum sit, tunc, enim nihil dandum est. Pro litteris vero missiuis, & similibus Protomedicus mercedem suo arbitratu decernat. Pro Doctoris à Collegio creati priuilegio expediendo nihil accipiat, tantum pro minuta vocata ternos accipiat iulios. Prò rogitu, & Priuilegij subscriptione Collegium ei tribuat iulios duodecim, vt supra Cap. lx. dictum est. In his verò, quæ litium, & controuersiarum causa scribenda sunt, Curiæ Capitulinæ stylum, & con-

ſuetudinem obſeruet, & tam in prædictis, quam in cæteris omnibus tam Collegium, quam Notarius teneantur obſeruare inſtrumentum concordiæ, ac iuxtà diſpoſitionem Chyrographi fel. record. Vrbani Octaui dati ſub die 5. Aprilis anno 1630. Notarius deniquè nulli ſit affinis Collegarum, aut Conſanguineùs, nec alicui ex Collegij Miniſtris.

De ſubſcribendo Receptas. Cap LV.

AD euitandum multa, quæ ægrotantium damno ab imperitis committuntur, ſalubre præceptum fel. record. Gregorij Decimitertij Pont. max. ſeruetur, nimirum Medici quicumque tam Phyſici vocati, quam Chirurgi ſuas remediorum deſcriptiones, quas vulgus vocat receptas, ſubſcribant eorum nomine (ac cognomine, vbi nominis ſimilitudo errorem parere poſſit, appoſito) Qui non ſeruabit, vigintiquinque nummis aureis de Camera mulctetur. Aromatarij pari pœna puniantur, ſi medicamenta exhibuerint, deſcriptionibus huiuſmodi, ſeù receptis, non ſubſcriptis.



De

De Aromatarijs coercendis. Cap. LVI.

QVoniam Aromatarij tum peritia, tum fides, & diligentia medicæ facultati est necessaria, Protomedicus, & Consiliarij pro tempore existentes summoperè incumbant, vt cum Vrbanis Aromatarijs obseruentur omnia, & singula, quæ continentur in motu proprio Confirmationis concordiæ fel. record. Gregorij Decimitertij Pont. max. & in Bulla reformationis Tribunalium Pauli Papæ Quinti. Cum externis autem Aromatarijs seruanda sunt, quæ habentur in Bulla iurisdictionis Protomedici fel. record. Clementis Septimi; qua in re si negligentes Protomedicus, & Consiliarij se præstiterint, Collegij iudicio mulctentur, Re per Censores relata.

De pœnarum exactione, & distributione. Cap. LVII.

POEnarum in Statutis mentio facta est reis, & maleficis infligendarum. Pecuniæ igitur ex pœnis huiusmodi exactę Camerarij custodiæ tradantur, & cum reliquis ad Collegium spectantibus distribuantur, vt suis locis dictũ est, excepta portione Ministris Collegij debita.

De

De massæ distributione, & Camerarij mercede. Cap. LVIII.

PRæter statuta de distributione pœcuniarium, quæ à gradum petentibus, & à nouis Collegis in admissione exiguntur, quoniam sunt etiam pecuniæ, quæ supersunt ex ipsis depositis Doctorum post factam vt supra Cap. lx. & lxv. distributionem; quæ à Viceprotomedico afferuntur; quæque ex priuatis litteris, & pœnis ad Collegium pertinentibus colliguntur (massam maiores nostri vocabant) earum distributionis ratio hæc esto. Singulis annis Camerarius in Vigilia Natiuitatis Dominicæ singulis Collegis tam Supranumerarijs, quam Numerarijs denarios, seu iulios decem, & libram piperis empti ex dicta pecunia, Protomedico autem duplum, tribuat; quod reliquum est in tot portiones diuidat, quot adsunt Collegæ Numerarij tantum, & vna plus; ac singulis singulas, Protomedico autem binas tribuat, vel eadem die, vel quam primum. Quod si Camerarius sua culpa negligens fuerit Syndici viderint, & in eum dignè animaduertant; ad hanc autem distributionem non admittantur, qui (licet Numerarij) maiorem anni partem Romæ non degerint, & ob eam causam munera Collegij non exercuerint. Camerarius vero prò singulis, qui Doctoris gradum obtinuerint à Collegio, aut licentiaturam (pauperibus exceptis) & pro singulis patentibus litteris binos denarios accipito.

De

De Protomedici, & Collegij iurisdictione in causis tam criminalibus, quam ciuilibus, alijsque rebus ad medicinam, seù Collegij iura pertinentibus.

Cap. LIX.

QVoniam in artibus etiam sordidis statutum est lites, & controuersias de rebus ad eas artes spectantibus definiri, & dirimi ab illarum artium Peritis debere: Ita summorum Pontificum, & præsertim Iulij Tertij diplomate sancitum est, vt ad artem medicam spectantes controuersiæ tam criminales, quã ciuiles inter quascumque personas tam Clericos, quam Laicos, & Regulares ab artis Medicinæ Peritis cognoscantur,& vsque ad pœnæ executionẽ inclusiuè iudicentur à Protomedico scilicet, & Collegio; ac propterea vetitum alijs omnibus,& singulis Romanæ Curiæ Iudicibus siuè Ordinarijs,siue extraordinarijs,& quacumque dignitate,& officio fulgèntibus se huiusmodi Causis, & Controuersijs immiscere, vt nec Protomedicũ, nec Collegiũ molestent,prohibeant, aut quacumq; ratione, & in quacumq;instantia impediant sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ac mille aureorũ de Camera nummorũ pro vna Cameræ Apost.pro altera verò medietate prædi-

prædicto Collegio applicandorum. Statutumque est inhibitiones factas quascumque, & decreta, & indè sequuta quæcumque per dictos Iudices contra eumdem Protomedicum, & Collegium in causis ad ipsum pertinentibus quibuscumque, & imposterum faciendas, & decernenda quælibet omninò irrita habenda, & nullius omninò roboris, & momenti esse, illisque non obstantibus eumdem Protomedicum, vel Collegium in ijs causis debere procedere sinè aliquo censurarum, & pœnarum in huiusmodi inhibitionibus expressarum, vel exprimendarum timore. Quod si quæ causa occurret, quæ ab aliquo alio Romanæ Curiæ Iudice auocari non possit, & Medicorum consilio indigeat, aut alia quæcumque res, cui sit opus eorumdem consilium vel examen, vel peritia, de ijs omnibus solus Protomedicus, siuè Collegium consulatur. Quod si quis priuatus Medicus absque Collegij consensu, licet requisitus, sententiam in huiusmodi tam causis, quam rebus ad iura Collegij, & ad artem medicam pertinentibus interposuerit, aut Consilium dederit, aut examini, aut alteri cuiuis actui publico, seù priuato interfuerit totiès quotiès viginti quinque nummis aureis de Camera, vt supra applicandis, mulctetur.



De

De causis mercedis. Cap. LX.

CAusas mercedis quantumcumque eius summa fuerit Protomedicus cognoscat, & iudicet, siue ab ægris Medici petant, siuè ægri male solutum à Medicis repetant, & quæcumque inter ægrum, & Medicum dubia erunt, & controuersa, omnia declaret, dirimat, & præfiniat: summariè tamen procedat sine strepitu, & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta, ac pro viribus studeat aduersarios concordes reddere, & amicè componere. Quod si Chirurgi, aùt Physici in causis ad Protomedicum, & Collegium pertinentibus ad aliud tribunal accesserint, puniantur aureis nummis de Camera decem pro qualibet vice. Procedat quoque Protomedicus, & Collegium quacumque die, ijs exceptis, quæ Deo opt. max. dicatæ sunt.

De Medentium mercede oportuné petenda. Cap. LXI.

NE autem res in infinitum progrediatur cautum est, neminem Medicum siuè Physicum, siuè Chirurgum siuè Empiricum, aut quocumque nomine vocetur, siuè Christianum, siuè Iudæum, qui quacumque

debita facultate artem medicam exerceat, posse aliquem ad iudicium vocare transacto biennio ab eo tempore, quo Medicinam ei fecerit, nisi constet pactum aliquod inter eos intercessisse, vel publica Notarij alicuius publici scriptura attestante, vel Chyrographo aliquo priuato, sed ea forma, cui solet in iudicio fides adhiberi, quæ videlicèt duorum saltèm testium fide dignorum subscriptione sit confirmata, nisi aliàs iustis de causis Protomedico secùs visum fuerit.

De mercede Chirurgorum. Cap. LXII.

PAuperes, qui nihil habent, & suis manibus victum sibi nequeunt comparare, gratis curentùr: quibus verò facultas comparandi victum manibus, & alioquin ægeni sunt, primis xv. diebus singulis singulos iulios soluant, postea verò alternis tantum. Reliqui verò ægri primis quindecim diebus singulis iulios binos: postea verò singulos, quod minimum est, præsertim si bis die visitauerint, aliàs pro ægri statu, & Chirurgi dignitate Protomedicus, vel Consiliarij, vel ipsum Collegium respectiuè mercedem augento. Esto autem par ratio eorum, qui Barbitonsores vocantur pro venarum sectione, pro hyrudinum, & Cucurbitularum applicatione, & alijs huiusmodi operibus.

De

De mercede Medicorum. Cap. LXIII.

MErcedem,& ſi honeſtius eſt Viros ingenuos accipere,quàm exigere, quia tamen honeſti laboris iuſta mercedis petitio eſt; Iuſtum eſt quoquè de Doctorum medicinam facientium mercede ſtatuere. In primis autem memores ſint, cum primùm dignitatem Doctoris adepti ſunt,pauperum curam ſe gratis habituros iureiurando pollicitos eſſe: Ægri verò, quibus opes non deſunt,debent ipſi beneficij magnitudinem reputare, aliàs Protomedico Conſiliarij, & Collegium reſpectiuè ità perſonarum rationem habeant, vt quos minus diuites eſſe conſtiterit, non vltra ternos iulios in dies ſingulos, licet melioris notæ Medicis petentibus; mediocritèr autèm diuites non vltra ſex iulios in ſingulos dies, Ditiores non vltra nummum aureum condemnent: licet autem pro Medicorum dignitatè aliquid infra dictam menſuram præfinire, & in re præſenti rebus modum pro ſua conſcientia ponere.

De Depoſitis. Cap. LXIV.

SI quod petitur non exceſſerit ſummam decem aureorum nummorum,non audiatur reus,niſi depoſita,quæ petitur,pecunia: ſi verò exceſſerit, ſponſorem

M 2 ſiuè

siuè fideiussorem idoneum in forma, vt dicitur, depositi recusare non liceat: Si aureos quinque nummos non excedat, penes Notarium Collegij deponatur: si excedat, deponatur penes custodes Montis Pietatis, vt Motu proprio mandatum est à fel. rec. Gregorij Decimitertij Pont. Max. quod si fortuna propter appellationem pecuniæ depositatæ restitutæ fortè fuissent, non audiatur reus, nisi prius illas denuò deposuerit, & ad deponendum, petente Actore, omninò compellatur.

De Appellationibus. Cap. XLV.

QVamuis in rebus tam manifestis appellatio admitti non deberet, nè quis tamèn conqueri valeat de iustitia denegata, si agatur de summa, quæ superet binos aureos nummos de Camera admittatur appellatio ad Consiliarios, qui sinè Protomedico cognoscant, & iudicent. Quod si contigerit Consiliarium tertium esse eumdem, qui, cum præcedenter Protomedicus esset, sententiam tulit, alij duo Consiliarij cognoscant & finiant; quibus, nisi acquieuerint litigantes, liceat ad totum Collegium appellare, à quo duo Collegæ eligantur, qui de meritis causæ certiores fiant, & ad Collegium referant, à quò, secretis suffragijs re per maiorem partem decreta, causæ perpetuum silentium imponatur; non audiatur autem reus, qui appellauit, nisi (vt superiùs prefatum est) pecunia deposita.

De

De Executione. Cap. LXVI.

QVotiès facienda eſt aliqua executio, Notarius ſcribat mandatum, idque à Protomedico ſubſcribatur, & paruo ſigillo Protomedico familiari obſignetur, & Mareſciallo cuilibet tribuatur, qui exequatur, nec pro ſtipendio plus capiat, quam Curiæ Capitolinæ Mareſciallis permiſſum eſt.

De iure iurando per Protomedicum dando. Cap. LXVII.

PRotomedicus deferre poſſit iuſiurandum litigantibus ob defectum plenæ probationis, & in omnibus alijs ſpectantibus Collegij decus, iura, & vtilitatem. Valeat iure iurando indicto cauſas definire: item poſſit alios ad iurandum cogere veritatis inueniendæ cauſa, tam in rebus ad medicinam, quam ad Artem Aromatariorum pertinentibus. Item teſtes cogere tam in cauſis ciuilibus, quam criminalibus, & eoſdem grauare, & contra eos executionẽ de more fieri iubere, ac ſi opus fuerit in criminalibus, Reum in carcerem conijci iubeat, & ad opportuna omnia iuris, & facti remedia deueniat.

De modo procedendi in criminalibus. Cap. LXVIII.

IN causis autem criminalibus contra Medicos, Chirurgos, Aromatarios, Ministros Collegij, & alios quoscumque Protomedici, & Collegij iurisdictioni subiectos reos, & maleficos in causis, & casibus ad Collegium, & ad artem Medicam, & Aromatariam pertinentibus, nè maleficia remaneant impunita, possit procedi per accusationem, denunciationem, per modum inquisitionis, ex officio tam coniunctim, quam separatim pro causæ necessitate, & vtilitate iuxta stilum, qui seruari solet in Curia Capitulina. Quod si appellare aliquis voluerit, idem seruetur, quod ante in causis ciuilibus statutum est, nimirum ad Consiliarios primùm, deindè ad totum Collegium appelletur.

De Assessore. Cap. LXIX.

SI quando dubium oriatur in causis à Protomedico cognoscendis, idem Protomedicus eligat Assessorem Iurisprudentem, rerum agendarum peritum, neutri parti suspectum, qui suam scripto sententiam dicat, Pars tamen vtraque salarium pro huiusmodi Assessore penes Notarium deponere teneatur.

De Mandatario. Cap. LXX.

ELigat quoque Protomedicus viatorem, seù Mandatarium iure iurando interposito, vt de Notario

rio ſtatutum eſt, cuius munus eſto reos citare, & alios quoſcumque pro neceſſitate, & mandato Protomedici, eoſque admonere, & cohibere, aut Mandatorum Protomedici exemplaribus domi relictis (ſeruato in huiuſmodi muneribus Curiæ Capitulinæ ſtylo) pro ſingulis autem citationibus aſſem accipiat: Quod ſi de numero Curſorum ſit, aſſes binos accipere valeat; à quocumq; autem, qui licentiam habuerit per patentes litteras medendi, iulium accipiat, vel minus Protomedici arbitratu: Si quid verò Protomedico, vel Collegio inſtante faciendum ſit, nihil accipito, ſed gratis facere teneatur.

De Cuſtode ſcripturarum Collegijque, qui dicitur Archiuiſta. Cap. LXXI.

QVoniam Collegij vtilitati ſummoperè intereſt omnia ſcripta, & monumenta ad ipſum ſpectantia attentiùs impoſterùm conſeruari, ac cuſtodiri, ſtatuitur Collegam, qui videbitur idoneus, eſſe eligendum ſcripturarum Collegij cuſtodem: fiat autem electio à toto Collegio ſecretis ſuffragijs, Collegis omnibus propoſitis, cum aſſignatione annuæ recognitionis ſcutorum ſex. Nec electus remoueri poſſit ab huiuſmodi munere, niſi ex tribus Collegarum partibus duæ ſaltem conſenſerint. Huiuſmodi verò Cuſtodi conſignentur per Inuentarium, ac rogitu Notarij omnia quæcumque ſcripta, & monumenta ad Collegium

quo

quocumque modo ſpectantia, & iura, ac iuriſdictionem ipſius concernentia facta Camerali obligatione fidelitèr ea cuſtodiendi, eademque ad eiuſdem Collegij beneplacitum reſtituendi, reſeruata Protomedico pro tempore facultate in caſu obitus dicti Cuſtodis, ſiuè quocumque altero caſu, quo res ita poſtulet, tam ab hæredibus, quam domeſticis eius, & conſanguineis non ſolum repetere eadem omnia Collegij monumenta, ſed ſi quid eorum defuerit etiam cogere, & mandare, vt per Mareſciallum aliquem ex bonis dicti Cuſtodis tantum extrahatur, quantum ſatis erit refectioni ſcripturarum, quæ deficiant.

De Statutorum inuiolabili obſeruantia, ac prohibita eorum derogatione. Cap. LXXII.

Collegium prædictum nullo modo derogare poſſit huiuſmodi Statutis, ſed eadem tam Protomedicus, & Conſiliarij, quam cæteri omnes Collegæ, nèc non cuncti omnes poteſtati, ac iuriſdictioni Protomedici, & Collegij quomodocumque ſubiecti teneantur exactè, & inuiolabiliter obſeruare. Quapròptèr Collegium, & Protomedicus nequeant facere noua aliqua ſtatuta, aut decreta, quæ huiuſmodi prædictis ſtatutis ſint aliquo modo contraria, ſed poſſint facere pro rei opportunitate noua decreta tantumodò in rebus, quæ his præſentibus Statutis non fuerint comprehenſa; ſeruatis modo, & forma in Cap. xxx. ſuperiùs expreſſis.

Hinc

HInc eſt, quod nos inuiolabili eorumdem Statutorum, vt præfertur, reformatorum, ac correctorum, & emendatorum firmitati, robori, & efficaciæ quantum cum Domino poſſumus prouidere cupientes, ac Præfatorum Protomedici, eiuſque Conſiliariorum, & Collegij Medicorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxàt harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio non ad illorum, aut cuiuſuis alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula Statuta præinſerta, in eiſque contenta, & expreſſa, ac

inde cæteroqui legitimé ſecutura quæcumque tenore præſentium perpetuó confirmamus, & approbamus, illiſque inuiolabilis, & inrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis vim robur, & efficaciam adiungimus, ac omnes, & ſingulos iuris, & facti, & ſollemnitatum quarumcumque, tam ex iuris communis, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac Vrbis præfatæ, aliorumq; quorumuis ſtatutorum, etiam iuramentis confirmatione Apoſtolica, vel quauis alia firmitatè roboratorum, illorumue reformationum, & nouarum additionum, aut decretorum, priuilegiorum, & indultorum quorumcumque præſcripto, quam de ſtylo, vſu, & conſuetudine, ſeù aliás quomodolibet in ſimilibus etiam de neceſſitate obſeruandarum, & alios quoslibet etiam quantumuis magnos, & ſubſtantiales, ac incogitatos, & inexcogitabiles defectus, ſi qui in præmiſſis, vel eorum aliquo principalitér, vel acceſſoriè aut aliàs quomodoli-

dolibet interuenerint, seù interueniſſe dici censeri, vel prætendi poſſent, pleniſſimè, & ampliſſimè ſupplemus, & ſanamus, ac penitùs, & omninò tollimus, & abolemus. Decernentes eaſdem præſentes litteras, ac ſtatuta præinſerta, & in eis contenta quæcumque etiam ex eo quod perſonæ quælibet dicti Collegij Medicorum, ac quicumque alij, etiam cuiuſuis ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, & dignitatis, ſeu aliàs ſpecifica, & indiuidua mentione, & expreſſione digni in præmiſſis ius, vel intereſſe habentes, ſeù habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque cauſæ, propter quas præſentes emanarint, ſufficientèr adductæ, verificatæ, & iuſtificatæ fuerint, aut ex alia qualibet etiã quantumuis iuſta, iuridica, legitima, & priuilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore iuris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis leſionis,

 nullo

nullo vnquam tempore de ſubreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeú intentionis noſtræ,aut intereſſe habentium conſenſus, alioue quolibet etiam quantumuis magno, & formali, ac ſubſtantiali, indiuiduamque mentionem, & expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, inualidari, infringi, retractari, in controuerſiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, ſeú aduerſus illas, vel illa aperitionis oris, reſtitutionis in integrũ, aliudue quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, ſeù impetrato, aut etiam motu,ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud vti, ſeú ſe iuuare vllo modo poſſe, ſed ipſas præſentes litteras, & ſtatuta præinſerta, omniaque, & ſingula in eis contenta, & expreſſa ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtine-

tinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumq; ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectiuè inuiolabilitèr, & inconcuſsè obſeruari, & adimpleri, ſicque, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, nec non Cameræ noſtræ Apoſtolicæ Præſidentes, Clericos, Theſaurarium, & Commiſſarium Generales, cæteroſque Officiales, & Miniſtros, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros: ſublata eis, & eorum cuilibet quauis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcientér, vel ignorantér contigerit attentari. Non obſtan. præmiſſis, ac quarumcumque litium inter

præ-

prædicta Medicorum, & Aromatariorum dictæ Vrbis Collegia exortarum pendentia, nec non, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostol. Regula de iure quæsito non tollendo; & rec. me. Pij PP. IV. Prædecessoris pariter nostri de gratijs qualecumque interesse dictæ Cameræ concernen: in eadem Camera intrà certum tunc expressum tempus præsentandis, & registrandis, itaùt præsentes litteræ ibidem præsentari, & registrari numquam necesse sit; alijsque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non prædictorum Collegiorum, ac etiam Barbitonsorum Vrbis prædictæ, ipsiusque Vrbis, & alijs quibuslibet etiam iuramento Confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, & nouis additionibus, stylis, vsibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis etiam dictis Collegijs, illorumq; re-

spe-

ſpectiuè perſonis, & alijs quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus,& formis,ac cum quibuſuis etiam derogatoriarũ derogatorijs, alijſque efficacioribus efficaciſſimis,& inſolitis Clauſulis,irritantibuſq; & alijs decretis,etiam motu,ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus etiam cõſiſtorialitèr, & aliás quomodolibet in contrarium pręmiſſorum conceſſis,ac pluriès confirmatis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis etiam ſi pro illorũ ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa,ac indiuidua, & de verbo ad verbũ, non autem per clauſulas generales idẽ importantes mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi,ac ſi de verbo ad verbũ nihil pęnitús omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata exprimerentur, & inſerentur præſentibus pro plenè, & ſufficiẽtér expreſſis, & inſertis habentes,illis

aliàs

aliás in ſuo robore permanſuris ad pręmiſſorum effectum hac vice dumtaxàt ſpecialitèr, & expreſsé derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cęteriſque contrarijs quibuſcumq; Volumus autem, vt earumdem pręſentium traſumptis, ſeu exemplis, etiã impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub Annulo Piſcatoris die xxix. Ianuarij M.DCLXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

NO-

NOMINA,
ET COGNOMINA
DD. COLLEGII ROMANI
MEDICORVM.
QVORVM MEMORIA EXTAT.
Antiquiora autem temporis iniuria desiderantur.



D.D. Io. Baptista de Verallis Romanus Medicus Papæ EVG. IV. Protom. gen. anni...

Sebastianus Veteranus medicus Papæ PAVLI II. Protom. gen. anni....

Alexander de Spinosis Rom. de Castilia Oriundus medicus ALEX. PP. VI. Protom. gen. ann. 1510.

Antonius Petrutius medicus PII PP. III. Protom. gen. anni....

Horatius Lancillottus Romanus medicus PP. IVLII II. Protom. gen. anni 1531. & 1547.

Marius Scapuccius Rom. Protom. gen. anni ....
Iacobus de Manilijs Rom. Protom.gen.anni ....
Petrus Airolus Protom. gen.anni ....
Io: Baptista de Faris Protom.gen.anni. ...
Marianus de Palma Protom. gen.anni ...
Alexander de Amatis Protom. gen. anni ....
Ferdinandus de Aragona Protom. gen. anni 1530.

Mattheus de Curte medicus PP. CLEM. VII.

Io: Baptista Theodoricus Rom. Protom.gen.ann. 1532. 1539. & 1548.
Scipio de Manfredis Ianuensis Protom:gen. ann. 1533. 1540. & 1557.
Ioannes Antracinus de Macerata Protomedicus gener. ann. 1535.
Seuerinus Sillanus Spoletanus. Protomedicus gener. ann. 1536.

Ioannes Franciscus Emanuelis Florentinus medicus PP. PAVLI III. Protom. gen. ann. 1534.

Tite.

Tiberius Palellus Sabinus medicus Papæ PAVLI III. Protomedicus genera lis anni 1545.

Hieronymus Arriuabenus Eugubinus Protom. gen. ann. 1537.
Nicolaus Casa Noua Protom. gen. ann. 1538.
Thomas Cadamustus Leodiensis. Protom. gen. an. 1541 obijt Protom. ann. 1549.
Damianus de Damianis Siculus Obijt Protomed. gen. ann. 1542.

Petrus Antonius Contugius Volaterranus medicus PII PP. IV. Protomed. gen. ann. 1553. 1560. & 1565.

Cosmus Iacomellus Rom. Protom. gener. anni 1543. 1549. & 1556.
Io: Bernardinus Crispoldus Reatinus. Protomed. gen. ann. 1544. & 1551.
Stephanus Cerasius Rom. Protom. gener. ann. 1546. 1551. 1558. & 1566.
Panutius Sillanus Spoletanus. Protom. gen. ann. 1552. & 1567.

Franciscus Antracinus de Macerata med. GREG. XIII. Protom. gen. ann. 1570.

Ioan.

Ioannes Baptista Seriustus Lucensis medicus GREG. PP. XIII. Protom. gen. ann. 1578. & 1586. & confirm. 1587.

Iustinianus Finettus de Monte Lupone. Protomed. gen. ann. 1555.
Ioannes Andreas de Valentibus de Triuio Vmbriæ. Protom. gen. ann. 1559.
Franciscus Siculus.
Vincentius de Maximis Romanus Protomed. gener. ann. 1561.
Andreas Cibo de Massa Cibea Protomedicus generalis anni 1562.
Bartolomeus Pusconius Nursinus, Protomed. gener. ann. 1563.
Siluius Zefirus. Protom. gen. ann. 1564.
Fabius Amicius Romanus Protom. gener. ann: 1566. & 1580.
Iacobus Iacomellus Romanus Cosmi filius.
Hipolytus Saluianus Romanus.
Bartolomeus Eustachius Vrbinas.
Ioannes Franciscus Grauastius Taurinen.

Antonius Portus firmanus medicus Papæ SIXTI V. Protomed. gen. ann. 1584. confirmatus 1585. & 1592. 1600.

Ro-

Rodulphus Siluestrius Bononien. medicus GREG. XIV. & CLEMENT. VIII. Protomedicus generalis ann. 1591. 1596. & confirmatus 1597.

Laurentius de Minoribus Florentinus.

Faustus de Valentibus Siculus. Protomedicus gener. ann. 1571.

Alexander Butrius Romanus.

Laurentius de Castello Tifernas.

Petrus Hieronymus Fusconius Nursinus Protomed. gen. ann. 1572.

Theodosius Cerebellius de Colle Veteri Sabinus.

Gulielmus Ciscaferrus Gallus.

Franciscus Gimnasius Bononien. Protomed. general. ann. 1573.

Io: Baptista Donatus de Corregio.

Aurelius Stagnus Mutinen. Protomed. gen. ann. 1574.

Virgilius Riccardus Florentinus.

Hieronymus Pontanus Imolen. Protom. gener. 1575. 1581. & 1589.

Sigimundus Brumanus Cremonen. medidicus CLEM. PP. VIII. Protomed. gen. ann. 1593. confirmatus ann. 1594. obijt Protomed.

Ioan.

Ioannes Zecchius Bononiensis medicus CLEM. PP. VIII. Protom.gen. ann. 1598. confirmatus 1599.

Leonellus Bellolacteus Anconitanus.
Iulius Busellus de Aretio Protom. gen. ann. 1576.
Petrus Crispus Sabinus Protomed. gener. ann. 1577. & 1582.
Gaspar Pirotus Romanus.
Hieronymus Cardanus Mediolanen.
Lælius Spagna Ilcinensis Protom.gen.ann.1579.
Franciscus Sampsonius Protomed. gener. ann. 1554. & 1565.
Fabius Amicius Sabinus Protom. gen. ann: 1580.
Franciscus Manfredus Ianuen.
Salustius Saluianus Romanus Hipolyti filius.
Famianus Massarus de Gallesio Protomed. gener. ann. 1582.
Archangelus Piccolomineus Ferrarien. Protomed. gen. ann. 1582.
Ferrantes Fustachius Bartolomei filius.
Basilius Parauicinus Nouocomen.
Andreas Gabriellius Senogaglien.
Alphonsus Cataneus Ferrarien.
Pompeius de Vbertis Tifernas.
Ioachimus Thomaius Rauennas Protomedicus gener. ann. 1588.

Iu-

Iulius de Angelis de Barga med. CLEM. PP. VIII. Magnus Præceptor S.Spiritus Protom.gen..ann.1601.

Paulus Rainerius de Fossa Aquilanus.
Alphonsus Barba ab Aquipendio.
Antonius Rigus de Saxoferrato Promedicus gener. anno 1590.
Castor Durantes de Gualdo.
Sextilius Piccolomineus Archangeli filius.
Odoardus Lopes Lusitanus Protom. gener. ann. 1594. 1606. & 1612.
Bartolomeus de Cruce Romanus.
Alexander Feria Casalen.
Petrus Gentilis de Fabricijs Sextinen.
Marsilius Cagnatus Veronen. Protom. gen. ann. 1595. 1602. & 1610.
Iacobus Minutulus Lucensis.
Iulius Durantes Castoris filius.
Andreas Cesalpinus de Aretio.
Hieronymus Nardinus Reatinus.
Asdrubal Minutellus Romanus.
Iacobus Lampugnanus Mediolanen. Protom. gener. 1603. & 1622.
Medorus Patriarcha de Griptis Picenus Protom. gener. ann. 1604. & 1616.

Iulius Mancinus Senensis Canonicus Sancti Petri in Vaticano, medicus VRB. PP. VIII.

Ascanius Mandosius Romanus de Ameria oriundus Protom. gen. ann. 1605. 1613. & 1624.

Salustius Iulianus Æquicola Reatinus Protom. gener. ann. 1607.

Laurentius de Rubeis Senensis Protomedicus gener. ann. 1608. & 1620.

Iulianus Cascianus Pisanus.

Io: Baptista Orius Ariminensis.

Hieronymus Baldolus Fulginas, Protomedicus gener. ann. 1609. & 1615.

Sebastianus Iozzius de Interamna, Protomedicus gen. ann. 1621. 1628. 1633.

Ioannes Antonius Zittus *de* Vallefrigida. Protom. gen. ann. 1611. & 1623.

Ioannes Baptista Fasianellus Reatinus Protomed. gen. ann. 1618.

Marcus Antonius Lucianus Belforten. Protomed. gener. ann. 1625:

Mauritius Mesiorius Romanus.

Philander Colutius Veliternus obijt Protomed. gener ann. 1627.

Hieronymus Terminellus Neapolitanus.

Cin-

Cinthius Clemens Corinaltensis Canonicus Lateranensis, medicus PP. PAVLI V. Promed. gen. ann. 1614.

Laurentius Garzonius Lucensis Protome dicus gener. ann. 1619.
Leonardus Gislenus Romanus.
Bernardinus Messorius Romanus Protomed. gener. ann. 1631. & 1640.
Ioseph Ghislerius Romanus Protomedicus general. ann. 1632. 1649.
Ioseph de Sanctis Æquicola Reatinus Protomed. gen. ann. 1617. & 1635.
Alexander Menchinus Ilciensis Protomedicus gener. ann. 1629.
Angelus Cardus Senensis.
Ioannes Petrus Morettus Romanus Protomed. gener. ann. 1639.
Baltassar Bonannus de Sellano Spoletanus Protomed. gen. ann. 1636.
Ioannes Manelphus Eretanus Protomed. gener. ann. 1630. 1645.
Tiberius à Fonte Eugubinus Protomedicus general. ann. 1637.
Nicolaus Rentius Sabinus Protomed. gener. ann. 1634. 1644. 1662.

Baldus Baldus Florentinus Protom. gen. designatus ann. 1643. medicus Papæ INNOC. X.

Paulus Zacchias Romanus Protomedicus gen. ann. 1638. 1653. obijt Protomedicus ann. 1659.
Ioannes Præssius Cesanus Protom. gen. ann. 1646.
Dominicus Guidarellus Romanus Protomed. gener. ann. 1641. confirmatus 1642. & 1647: 1655.
Gaspar Capponius Romanus.
Dominicus Pacinus Pistoriensis obijt Prot. gen. an. 1648.
Io: Bernardinus Densa Salernitanus, Prot. gen. ann. 1654.
Ioannes Benedictus Sinibaldus Leonissanus Prot. gen. anno Iubilei 1650. & altero, quo obijt Prot; 1658.

Benedictus Rita de Leonissa medicus Papæ CLEM. IX. Protomed. gener. ann. 1651. 1656. confirmatus 1657. & 1669. 1670. obijt Collegij Decanus.

Franciscus Perla Caluiensis.
Marcellus Lutius Rom. Protom. gen. ann. 1652.
Iulius Cæsar de Benedictis Aquilanus obijt ann. 1656. Protomedicus designatus.
Io: Baptista Bencius ab Aquipendio Prot. gen. 1658.
Dominicus Panarola Romanus.
Franciscus Santuccius Romanus Protom. gen. an. 1659.

Mat-

Matthias Naldus Senensis medicus Papę ALEX. VII. Protom. gen. ann. 1660. 1661. 1666. & 1667.

Cæsar Mannuccius Perusinus Protom. gen. 1664.

Ioannes Albertus Romanus.

Io: Maria Constantius Romanus Protom. gen. an. 1668.

Carolus Valesius Dubourgdieù Burdegalensis Protom. gen. an. 1673.

Ludouicus Bellinzanus Lucensis Protom. gen. an. 1665.

Franciscus Fansonius à Monte-fortino Protom. gener. 1663. 1676. electus die 8. Iulij 1675. ad perpetuum primum Magistratum.

Petrus Paulus Reali de Cassia Protom. designatus pro anno 1676. & electus 8. Iulij 1675. ad perpetuum primum Magistratum.

Ioseph Politianus Romanus MICHAELIS I. REGIS POLONIÆ medicus.

Antonius Placenti Amerinus Prot. gen. ann. 1671. confirmatus 1672. & electus die 8. Iulij 1675. ad perpetuũ primum Magistratum.

Io: Franciscus Sinibaldus Romanus Io: Benedicti filius.

Ioannes Trullus Romanus.

Cæsar Macchiatus Firmanus Prot. gen. designatus pro ann. 1674. S.M. CHRISTINÆ ALEXANDRAE SVECORVM REGINAE medicus.

Flo-

Floridus Saluatorius Tifernas Canonicus SS. Laurentij, & Damasi, medicus Regnantis S.D.N. CLEMENTIS X. & Protomedicus generalis annis 1674. & Iubilei 1675.

Paulus Manfredus Lucensis.

Lucas Thomasinus Ripanus electus die 8. Iulij 1675. ad perpetuum primum Magistratum.

Antonius Aegidius Petraglia Romanus.

Jacobus Sinibaldus Joannis Benedicti Filius Romanus Protomedicus Generalis 1707, 1710, 1713, 1717, 1720, in quo anno obiit Collegii Decanus.

Hieronymus Brassavola Ferrariensis.

Franciscus Antonius Saltasbarra de Ceccano.

Rodulfus Quidarellus.

Joannes Maria Lancisius Romanus Medicus a secretis S. D. N. Papæ Innocentii XI., & Clementis XI. Protomedicus Generalis obiit anno 1719.

Dominicus Gagliardus de Marino Protomedicus Generalis 1714, 1718, 1720, 1725, 1727, 1730, 1734, 1737, 1740, 1742, in quo anno obiit Collegii Decanus.

Bartho-

Bartholomæus Santinellus Romanus.
Gaſpar Realius Petri Pauli Filius Romanus.
Petrus Philippus Scocchius Fulginas.

Michael Angelus Pauli Piſaurenſis S. D. N. Clementis XI. Archiater a ſecretis, & Protomedicus Generalis 1712, 1716, 1719, & pro anno 1722.

Alexander Paſculus Peruſinus Protomedicus Generalis 1721, 1726, 1728, 1732, 1736.
Vincentius Gattucius de Corchiano Protomedicus Generalis 1724, 1727.
Paulus Buſca Pedemontanus.
Emanuel Lopez Luſitanus.
Octavianus Saxius Bertinonenſis Protomedicus Generalis
Franciſcus Romanellus Veliternus Protomedicus Generalis 1731, 1735, 1738, 1741.
Orontius Arnò Manduriensis.
Petrus Aſſaltus Firmanus.
Januarius Jannellus Beneventanus.
Mercurius Arredi Conſaluus de Sarnano.
Bernardinus Fraſca de Acuto Protomedicus Generalis 1729, 1733.
Philippus Denſius Romanus.

Nicolaus de Michelangelis de Rocca Contrada Medicus a ſecretis S.D.N. Papæ Innocentii XIII., & peculiari ipſius diplomate Protomedicus Generalis pro annis 1722, & 1723.

Michael Vitellius Neapolitanus.

Antonius Pace Luſitanus Protomedicus Generalis 1744.

Joannes Antonius Vulpius Aſculanus.

Raymundus Tarozzius Romanus Protomedicus Generalis 1742.

Franciſcus Raynerius Perazzani Viterbienſis.

Philippus Modius Romanus.

Antonius Leprottus Mutinenſis S. D. N. Papæ Clementis XII., & Regnantis BENEDICTI XIV. Archiater a ſecretis Protomedicus Generalis 1739 1741, 1743.

Coſmas Bottari Grillus Meſſanenſis.

Marcus Angelus de Marcangelis Protomedicus Generalis 1745. Sabinus

Joſeph de Panicis Montorienſis.

Franciſcus Gagliardus Dominici Filius Romanus.

Carolus Joſeph Lanzius Nurſinus.

Ani-

Anicetus Antonius Maſſa Romanus.
Joannes Franciſcus de Camillis de Ceprano.
Franciſcus de Rubeis Romanus, qui obiit antequam admitteretur.
Aurelius Ginanneſchius Senenſis.
Darius Bonaccurſius Romanus.

RERUM, ET VERBORUM

OMNIUM,

QUÆ IN STATUTIS
COLLEGII
ARCHIATRORUM URBIS

CONTINENTUR

INDEX LOCUPLETISSIMUS.

A

ABORTIVA Medicamenta sine licentia Medici nemini liceat vendere. cap. 48. p. 66.

ABSENS Collega —— *l. Collega*
Consiliarius —— *l. Consiliarius*
Protomedicus —— *l. Protomedicus*
Vicesgerens —— *l. Vicesgerens*
} *Absens, vel Absente*

Numerarius Collega, etiam cum licentia Collegii non gaudet Distributionibus, quæ ex creatione Doctorum fiunt inter præsentes; sed eas superlucratur Supernumerarius proximus Numerariis; si tamen absentia non excesserit quatuor dies, ejus portio dividenda inter Numerarios præsentes, nisi ob sumptus extraordinarios, & necessitates Collegii statuerint Prothomedicus, & Consiliarii retinendam esse a Camerario. cap. 24. p. 45.

ABSENTES per majorem anni partem a Collegio non gaudent distributione Massæ, quæ fit in vigilia Nativitatis Dominicæ. cap. 58. p. 86.

Ab Urbe etiam sine licentia Collegii sunt capaces eligi ad primum Magistratum, si tamen sit spes eorum reditus ante sex menses, & domicilium habeant in Urbe, & de illis ratio est habenda, ac si essent præsentes; secus autem, si non sit spes esse redituros ante sex menses. cap 24. p. 43.

Possunt suam mittere sententiam ad Collegium, ut voce exponatur, de quacunque re agatur; præsentes vero non nisi secretis suffragiis, non viva voce. cap. 30. p. 49.

Non participant de Distributione in admissione novi Collegæ. cap. 23. p. 41.

ABSENTIA Collegarum ab Urbe probata remanet ex Actibus Collegialibus, ex quibus appareat, eum Collegam, nunquam eo tempore interfuisse Collegiò; aliàs tenentur ipsi probare concludenter, se per majorem partem anni, vel triennii fuisse in Urbe. cap. 24. p. 43.

ACADEMIA Medica, & Anatomica instituta in Ædibus Guilielmi Rivæ Chirurgi Romæ florentis annis 1675., & seqq. a qua maximum rei medicæ incrementum, & Juventutis eruditio. Epistola Dedicatoria.

ACCUSATIO Contra veterem Protomedicum, & Consiliarios, quomodo, quando, & quibus exhibendæ. *l. Protomedicus l. Consiliarii l. Censores.*

Per Accusationem potest Protomedicus procedere in causis criminalibus *l. in causis criminalibus.*

ADMISSIO in Admissione Novi Collegæ, absentes non participant de illa distributione. cap. 33. p. 41.

Novus Collega quid agere debet *l. Collega novus admittendus.*

ÆTAS.

ÆTATE provectiores — *l. Seniores.*

ANATOMES publicè à nemine potest exerceri sine Protomedici licentia (excepto Lectore Sapientiæ) sub poena 25. aureor. &c. cap. 51. p. 79.

Privatè potest à quocunque exerceri. Ibid.

Publica facienda, & demonstranda arbitrio Protomedici, qui ad eam ostendendam debet unum, aut duos lectores designare; & ad eam invisendam cogere Chirurgos, & Barbitonsores, immò, eosdem taxare pro ejus expensis necessariis pro rata. cap. 51. p. 78.

ANATOMICA Academia — *l. Academia Anatomica.*

AN-

Annulus tribuendus Doctoribus inter Insignia — *l. Insignia Doctoratus*.

Apothecæ —— *l. Officinæ*.

Appellatio si interponatur ab Aromatariis super confectione Taxæ — *l. Taxa*. *l. lites*.

In Causis civilibus cognitio à Protomedico licet ad Consiliarios, ab istis ad totum Collegium, cap. 65. p. 92.

A' toto Collegio non licet, nec admittitur. Ibid.

Similiter in Causis criminalibus. cap. 67. p. 94.

Approbatio, & Proclamatio Doctorandorum varia, secundum merita eorum. Nam si sint plures calculi reprobantes, quam approbantes, Candidatus dimittatur sine honore. ——

Si paria sint vota approbantia, & reprobantia (si sic voluerit Vicesgerens, aut, eo absente, Protomedicus), ut admittatur pronuncietur = *Approbatus ex Gratia*.

Si plura sint vota approbantia, sed pauciora quàm duæ ex tribus partibus, pronuncietur = *Approbatus pro majori parte*.

Si vota approbantia sint duæ præcisè ex tribus partibus, pronuncietur = *Approbatus ab omnibus, nemine dissentiente*.

Si plura duobus suffragia reprobantia sint, & approbantia sint plura duabus ex tribus partibus, pronuncietur = *Approbatus ab omnibus, nemine penitus discrepante*.

Si ab omnibus approbetur, vel uno tantùm, vel etiam duobus votis reprobantibus, pronuncietur = *Approbatus ab omnibus viva voce*, si non fuerit taliter approbatus, ut dignus sit pronunciari = *Viva voce* = Quacunque alia probatione admissa, pol-

polliceatur, se per biennium adhuc studiis operam daturum, & interim Privilegium non expediatur. cap. 38. p. 56. & seqq.

APPROBATIO Examinatorum in partibus per commissionem factam à Protomedico Chirurgorum &c. debet servari à Notario. cap. 49. p. 71.

AQUAVITARII &c.

Et Aquavitam vendentes sunt visitandi à Protomedico. cap. 48. p. 67.

Poena eorum contraventionum est Juliorum quinque. Ibid.

ARBITRIO Collegii eligatur, si duo concurrentes ad locum Collegii sint pares in votis. cap. 19. p. 38.

ARCHIATRI —— *l. Collegæ.*

ARCHIVISTA eligendus à toto Collegio cum assignatione scutorum sex annuorum pro provisione, nec removeri potest, nisi ex tribus ex Collegarum partibus duæ consenserint cap. 71. p. 95.

Ei omnes Scripturæ Collegii consignentur per Inventarium, & cum rogitu Notarii. Ibid.

Si moriatur, Protomedicus potest ab Hæredibus omnia repetere, aut prætium pro refectione eorum, quæ deficerent. Ibid. p. 96.

ARGUMENTARI contra Doctorandum debet ultimus de Collegio, vel quicunque jusserit Protomedicus. cap. 36. p. 55.

ARGUMENTIS dum respondet Doctorandus debet stare, non sedere. cap. 36. p. 55.

AROMATARII si appellent à Taxa confecta — *l. Taxa l. Lites.*

Sunt subjecti Protomedico. cap. 8. p. 21.

Visitandi à Protomedico. Ibid. p. 22., quomodo — *l. Protomedicus.*

Non possunt recusare, nec impedire visitationem

B

tomen, & solvendum pro rata pro ejus expensis necessariis. cap.51. p.78.

Bavariolæ ex variorum pellibus gestari debent à singulis Collegis, quando habetur Collegium publicum. cap. 28.p.48.

Illis debet ornari etiam Doctorandus, qui publicè doctoratur, cum aliis Insignibus Doctoratus. cap.42. p. 62.

Beneficium Ecclesiasticum si quis habeat impedit introire Collegium, si personalem residentiam requirat. cap. 19. p. 37.

Non impedit autem actualem Collegam, si illud acquisiverit, nec per id desinit esse Collega. cap. 25. p. 44.

Bidelli de pecuniis novi Collegæ nihil debent recipere, sed iste proprio arbitratu de suo aliquid elargiatur in die admissionis. cap. 23. p. 41.

Sunt Ministri Collegii, & ab eo punibiles — *l. Ministri*.

Cum doctoratis titulo paupertatis uti debent eadem liberalitate, qua utitur Collegium, & solum accipere singuli par Chirothecarum, solum possunt aliquid accipere, si Doctorati dare possint, & velint,. cap. 41. p. 61.

Non adsistunt quando fiunt licentiati. Cap.45. p.63.

Biretum ——— *l. Insignia Doctorandorum*.

Birruarii ——— *l. Marycialli*. — *l. Exequutores*.

Brevia / Bullæ } Collegii Medicorum — l. *Collegium Medicorum*.

C

Caffe', & Coccolatam vendentes — *l. Coccolatam vendentes*.

Ca-

CAMERA Apostolica sunt examinata, & approbata Statuta Collegii Medicorum in Bulla Clementis VII. p. 2.

CAMERA Capitolina debet suis expensis sustinere lites, si quæ introducuntur ab Aromatariis contra Collegium Medicorum supra Taxam confectam — *l. Lites Aromatariorum*.

CAMERARIUS Collegii anterioris anni non potest ferre suffragium in Electione Sindicorum.

Potest eligi tam ex Numerariis, quam ex Supernumerariis, sed debet esse amplius Anno Collega, cap. 13. p. 28.

Illico ac est electus debet præstare Juramentum de bene administrando. Ibid.

Recipiat statim Librum Camerarii, & Pecunias, si quæ sint, à Camerario Vetere. Ibid.

Solvat Mandata subscripta à Protomedico, & Consiliariis. Ibid.

Eligitur à toto Collegio. Cap. 2. p. 6.

Debet pecunias Collegii custodire. cap. 2. p. 5.

Debet primis quindecim Diebus Januarii sequentis Anni exhibere Sindicis sua Acta in libro peculiari expressa, & si quæ fuerint dubia, intra alios quindecim dies justificare, nisi Collegium prorogaverit tempus. cap. 17. p. 35.

Debet subscribere omnes litteras patentes perpetuas, & privilegia, quo testetur pecunias recepisse, antequam a Protomedico, & Consiliariis subscribantur. cap. 49. p. 72.

Si non intervenerit Missis solemnibus, solvat duos aureos. cap. 27. p. 46. — *l. Missa*.

Ejus provisio, seu merces sunt Julii duo pro singulo Deposito Doctorum, & litterarum patentium. cap. 58. p. 86.

IN

In Causa Mercedis non audiatur Reus, nisi deposita pecunia, quæ deponitur in Monte Pietatis, si non excesserit summam decem scutorum, si excedat hanc summam, det Fidejussorem, si non excedat summam quinque aureorum, deponat in manu Notarii. cap. 64. p. 91. 92.

Censores duo constituunt unum ex Magistratibus Collegii. cap. 2. p. 4.

Ipsi Protomedicus, & Consiliarii præsunt, & invigilare debent, ut suis officiis probè fungantur. Ibid. p. 5.

Eligantur à toto Collegio. Ibid. p. 6.

In ultima Congregatione Veteris Protomedici. cap. 14. p. 29.

Non possunt eligi illi, qui sunt de primo Magistratu, sed ex aliis Numerariis. Ibid.

Non possunt recusare, nisi solverint aureos duos de Camera. Ibid.

Uno absente, potest alter solus validè suum munus obire. Ibid. p. 30.

Uno mortuo, alter eligendus. Ibid.

Habent auctoritatem etiam supra Protomedicum, & Consiliarios, & eos possunt cogere, & corrigere, si delinquant in officio suo. Ibid. p. 29.

Possunt convocare Collegium in absentia Protomedici, & omnium Consiliariorum. cap. 28. p. 46.

Possunt convocare Collegium, etiam invito Prothomedico, sed tantùm pro rebus ad suum officium spectantibus, de quibus Collegium judicare debet, sed concurrentibus duabus ex tribus partibus Collegii. cap. 14. p. 30.

Vel ambo, vel unus ex illis debent à Collegis recipere accusationes contra Protomedicum, & Consi-

liarios Antecessores intra primos 15. dies Januarii, illasque Notario exhibere, & nulli manifestare illum qui accusationem porrexerit; si revelaverint, puniendi arbitrio Collegii. cap. 12. p. 27. 28.

CENSORIUM COLLEGIUM } — *l. Collegium Censorium*.

CHYMICI possunt examinati, & approbati recipere litteras patentes. cap. 8. p. 21.

Nihil possunt ipsi exhibere per eos, sed Aromatariis vendere. cap. 48. p. 97.

Visitandi, & eorum officinæ à Protomedico. cap. 8. p. 21.

Visitationem non possunt impedire, & recusare. *l. Visitatio*.

Eorum Examinator — *l. Examinator*.

Eorum patentes — *l. Patentes*.

CHIROTHECAS tantum debent donare Filii, & Nepotes Collegarum, si doctorentur. — *l. Filii & Nepotes*.

Accipere debet Notarius titulo paupertatis. cap. 26. p. 45.

CHIRURGI subjecti Protomedico, cap. 8. p. 23.

Cogi possunt à Protomedico ad invisendam Anatomen, & pro rata solvendum pro ejus expensis. — *l. Anathomes*.

Si pro causa mercedis, aut aliis de causis pertinentibus ad Protomedicum accedant ad alium Tribunal, decem aureorum pœna multentur. cap. 6. p 89.

Horum Merces, & Honorarium cap. 62. p. 90

Examinari debent pro litteris patentibus obtinendis ab Examinatore deputato. cap. 49. p. 70.

CHIRURGIÆ Doctores etiam fiunt sine gradu philosophiæ. cap. 34. p. 52.

Puncta illis exhibentur. — *l. Puncta*.

His

Si

Si voluerit annuatim fungi munere Viceprotomedici, repulsam patiatur nullam, nisi Sindici taliter in eum animadverterint, ut possit jure refelli. cap. 53. p. 80.

Absens ab Urbe sine licentia Collegii per integrum annum, si eo tempore vacet Collegii locus eo superior, ipse absens non optat, sed alter Collega ei proximus. cap. 24. p. 42.

Absens ab Urbe per Triennium sine licentia Collegii, non participat de Collegii proventibus, immo, elapso Triennio amittit omne jus loci Collegii. Ibid.

Veniens post recitationem Punctorum in Doctoratu pro Absente habetur, & amittit distributionem. cap. 29. p. 48.

COLLEGARUM ABSENTIA } — *l. Absentia Collegarum.*

COLLEGARUM Electio spectat ad Protomedicum, & solos Numerarios. cap. 19. p. 37.

Non potest fieri alicujus, nisi in scriptis à Protomedico petiverit. Ibid.

Non potest fieri, nisi bis de eligendo actum sit, & de ejus conditionibus in Collegio, interpositis inter primam, & secundam Congregationem decem diebus. Ibid.

Conditiones autem requisitæ in eligendo sunt. Probitas. Eruditio non vulgaris. Non habeat beneficium personalem residentiam requirens. Defectu Natalium non laboret. Non habeat sordidos Parentes, vel ambos, vel alterutrum. Membro aliquo mutilato, aut depravato, adeo, ut ridiculus videatur, non sit. Nunquam hæresi, vel aliqua infamia, vel juris, vel facti notatus sit. Nunquam

alicui servierit in ludo litterario. Sordidam artem non exercuerit. Nunquam studiose fecerit homicidium. Nunquam contra Collegium, & ejus jura aliquid sit molitus, aut moliri tentaverit. Annos triginta ætatis habeat. Collegæ, aut Aromatarii viventis Filius, aut Nepos, aut Frater non sit. Annos decem ante sit Doctoratus. Doctoratum sit assequutus in publica aliqua Universitate. Habeat in Censu annuo aureos non minus centum. Habeat in Urbe stabile Domicilium. cap. 19. p. 37.

Ad hæc omnia investiganda duo designati à Collegio Numerariorum mensem integrum impendant. Ibid. p. 38.

Neque hæc investigatio fiat, nisi eligendus deposuerit penès Camerarium scuta 150. Ibid.

Ab his tamen omnibus dispensandi potestas est penès Numerarios, concurrentibus tamen duabus ex tribus partibus eorum. Ibid.

Irrita est, si uno solo petente, duæ ex tribus Collegarum partibus non consenserint. Ibid.

Si plures petiverint, sufficit consensus majoris partis. Ibid. p. 39.

Si plures sint pares in votis, præfertur primo Filius, aut Nepos Collegæ, inde Romanus, & tandem Senior, vel Collegii arbitrio. Ibid.

COLLEGÆ absentes sine justa causa à Collegio cognoscenda, die admissionis novi Collegæ, amittant emolumentum illius ingressus. cap. 23. p. 41.

Negotium si tractetur, non ferat ille Calculus, immo foras est mittendus. cap. 33. p. 51.

Pecuniæ quomodo distribuendæ. — *l. Pecunia*.

Si non intervenerint in Missis solemnibus solvant aureum unum. cap. 27. p. 44. — *l. Missæ*.

Dum

runt ab Illmo Præsule D. — de Matis, de Papazurris. anno 1675. in Ep. Ded.

Habet Jus privativum Doctorandi in Philosophia, & Medicina. — *l. Doctorandi*.

In antiquis Justiniani legibus, & in Archiviis Sanctæ Sedis Apostolicæ Collegium Archiatrorum vocatur. cap. 1. p. 3.

Duodecim Collegis antiquitùs constabat, & ideo noviter ad hunc numerum est redactum; Et si quis de hoc numero augendo agat, expellatur de Collegio cap. 1. p. 4.

COLLEGII CONVOCATIO }

COLLEGIUM convocari non potest, nisi à Protomedico, vel de ejus licentia, quæ licet præcesserit, tamen nihil sine eo potest decerni, nisi Protomedicus monuerit præcedenter, se ratum habiturum quidquid, eo absente, decernetur; exceptis tamen casibus, in quibus Censoribus est potestas convocandi Collegium. cap. 8. p. 20., & cap. 14. p. 30. — *l. alia circa convocationis modum*. cap. 28. p. 46.

Si absit, aut desit Protomedicus, potest, & debet à primo Consiliario, eo absente, à secundo Consiliario, & demum a tertio, & in omnium prædictorum defectu, à Censoribus. cap. 28. p. 46.

Potest à prædictis gradnatim, si Protomedicus, vel Infirmus, vel justè impeditus jubeat convocari. Ibid. p. 47.

Aliter convocans amittit locum Collegii. Ibid.

Debet pridie intimari à Bidellis voce, aut Syngrapha. Ibid.

Debet intimari cum aliqua admonitione, & notitia de negotio tractando. Ibid.

Potest momentaneè intimari, re aliqua urgente, & id quod in tali casu Protomedicus decreverit, cum iis solis, quotquot adfuerint, validum, & ratum sit, perinde, ac si à majori parte statutum esset. Ibid.

Aliàs non est validum, nec id, quod decernitur, ratum est, nisi ex tribus Collegarum partibus in Urbe existentium duæ saltem convenerint. Ibid.

Ab eo nemo potest discedere, nisi integrè negotiis absolutis, sine Protomedici licentia. Ibid.

Aliàs multandus quinque Juliis, vel Protomedici arbitrio. cap. 29. p. 48.

Dum publicè convocatur, singuli Collegarum Bavariolis ex variorum pellibus ornari debent.

Collegium Censorium quomodo, à quibus, & in quem finem convocetur. cap. 15. p. 31.

Commissarios potest Protomedicus per totum Statum Ecclesiasticum mittere, & delegare. cap. 9. p. 24.

Et hoc fuit discussum, & stabilitum in Sacra Congregatione Consultæ, per ejusdem Decretum anno 1698. sub Protomedicatu D. Lucæ Tomasini.

Commissarius, seu Fiscalis Collegii — *l. Ministri*.

Concordia, & ejus Capitula singula sunt observanda cum Aromatariis Urbanis. cap. 56. p. 85.

Conditiones Confectionum, sive Confectorum requisitæ in eligendis Collegis. — *l. Collegarum electio*.

Scatulam in singulos Collegas cum uno pari Chirothecarum debet dare Doctor, qui publicè creatur cap. 42. p. 62.

Scatulas librarum sexdecim debet habere à Collegio Collega nuptias contrahens, & si fuerit Protomedicus, duplum. cap. 27. p. 45.

Con-

De-

gium decreverit, quod ob pecuniarum indigentiam debeant applicari Collegio. cap. 24. p. 44.

DOCTOR, ET DOCTORANDUS DOCTORES FACIENDI, ET DOCTORANDI in Philosophia, & Medicina, vel conjunctim, vel separatim jus habet privativè quoad omnes alios Collegium Medicorum. cap. 34. p. 52. 53.

DOCTORANDI in Philosophia, & Medicina debent priùs docere per litteras testimoniales, per biennium his facultatibus studuisse in aliqua publica Universitate. cap. 34. p. 53.

A' quattuor examinatoribus examinandi, tàm si alterutrum, quàm si utrunque gradum petierint. Ibid.

Solvere debent Camerario pro Deposito scuta triginta, si utrunque gradum velint, si verò alterutrum tantùm, scuta viginti. Ibid.

Sedere debent dum recitant puncta. cap. 35. p. 55.

Stare quandò respondent Casui. cap. 36. p. 55.

Filii, aut Nepotes ex Filiis Collegarum nihil solvere debent Collegis, sed istis solas Chirothecas donare, Ministris tamen Collegii debent solvere solitum. Ibid.

Adsisti, & adjuvari debent, & laureari à Promotoribus. — *l. Promotores.*

Quomodo approbentur, & proclamentur variis formis secundùm diversitatem meritorum. — *l. Approbatio.*

Si reprobentur. — *l. Reprobatio.*

DOCTOR fieri non potest Hebræus sine Mandato Papæ. — *l. Hebræus.*

DOCTOR publicè creandus omnia facere debet, quæ cæteri doctorandi, sed Januis apertis, & Populo præsente. cap. 42. p. 62.

In-

Insignia. — *l. Insignia*.

Duplum solvere debet. Ibid.

Insignia, & lauream debet recipere de loco eminentiori, inter quæ debet ornari Bavariolis ex pellibus, ut Collegæ. Ibid.

Debet in Domum reduci, & associari à Collegis cum Tubis, & Sonis, quibus singulis debet donare par Chirothecarum, & Scatulam Confectionum. Ibid.

Doctor in Chirurgia etiam fit nulla habita philosophiæ ratione, & tamen examinandus à quattuor Examinatoribus. cap. 34. p. 54.

Doctores, et Doctorati Romæ, si velint Matriculari, debent docere per fides testimoniales incubuisse praxi Medicæ per Triennium à die Doctoratus. Exteri verò, & in aliis Universitatibus graduati sufficit quod exhibeant Privilegium Doctoratus, sed isti debent transegisse Quinquennium à die doctoratus. cap. 50. p. 77.

Doctorum, et Doctoratorum omnes actus, & nomina debet notare Notarius. cap. 54. p. 82.

Drogherii visitandi à Protomedico. — *l. Protomedicus*. — *l. Visitatio*.

Duleria, Sive cerea sexdecim, ponderis 64. librarum debent habere Hæredes Protomedici defuncti expensis Collegii. cap. 26. p. 44.

Octo autem, librarum 42. Hæredes Collegæ defuncti cap. 27. p. 45.

Duo sunt mittenda lib. octo ad Templum SS. Cosmæ, & Damiani in Foro Boario in die ipsorum festo. cap. 27, p. 46.

E

ECclesiastica dignitas, & Beneficium — *l. Beneficium.* — *l. Dignitas.*

Ecclesiastici in rebus ad Medicinam spectantibus sunt subjecti auctoritati Protomedici. cap. 50. p. 74.

Electio Collegarum — *l. Collegarum Electio.*

Ad primum Magistratum fieri debet in fine anni ante vigiliam Nativitatis Domini in Archigymnasio, vel alio loco, ut placuerit Protomedico, & Missam de Spiritu Sancto.

In hac functione serò venientes non admittuntur, imò multandi quattuor nummis aureis. Circa electionem debent etiam minima observari, aliàs est nulla electio; potest tamen ab hac forma dispensari, & dispensare Collegium, si crediderit necessarium, sed in hoc casu debent omnia vota esse favorabilia. cap. 4. p. 8. usque ad 15.

Electi — *l. Deputati.*

Electuaria, seu alia Medicamenta per os exhibenda, de quibus conceditur facultas à Collegio, vel destillatoribus, vel circulatoribus, aut aliis debent Romæ componi, & fabricari, cum assistentia duorum Collegarum deputatorum ad id à Protomedico, quibus singulis debent illi, qui componunt, qualibet vice scutum dare. cap. 48. p. 68.

Examinare doctorando in Philosophia, & Medicina solis Collegis Medicis competit, aliis Medicis prohibitum sub poena aureorum 25. applicand. ad pias causas. cap. 34. p. 53.

Examini Si Medicus non Collega sese immiscuerit, non examinetur aliquis ad rem medicam. — *l. Peritia.*

Exa-

F

H

I

Im-

IMPENSÆ COLLEGII —— *l. Sumptus*.

PER INQUISITIONEM potest procedere Protomedicus in Causis criminalibus — *l. Causæ criminales*.

INSIGNIA Doctoribus largiendi facultatem pronunciat, & communicat Promotori Vicesgerens, & eo absente, Protomedicus. cap. 38. p. 58.

Sunt libri, Annulus, Biretum, Amplexus. Ibid.

Non traduntur licentiatis. cap. 43. p. 63.

PRIMA INSTANTIA in Causis judicandis à Collegio Medicorum est ante Protomedicum, secunda est ante Consiliarios, tertia ante Collegium, à quo non licet appellare.

INTORTITA —— *l. Dupleria*.

INVENTARIUM debet fieri de Scripturis Archivii, & eo mediante, istæ consignari Archivistæ. cap. 71. p. 95.

JUDICES quicunque cujuscunque Tribunalis non possunt se immiscere in cognoscendis, & judicandis causis ad Collegium Medicorum, & rem Medicam spectantibus sub poena scutorum mille aureorum applicandorum pro medietate Cameræ Apostolicæ, & pro alia medietate ipsi Collegio. cap. 59. p. 88.

Horum Inhibitiones — *l. Inhibitiones*.

JUDICIUM suum, seu Peritiam non potest in rebus ad rem Medicam, spectantibus interponere Medicus non Collega, etiam requisitus. — *l. Peritia*.

JURAMENTUM, SEU JUSJURANDUM faciendum à novo Collega. cap. 22. p. 40.

A Doctore dum creatur Doctor. cap. 39. p. 58.

Potest Protomedicus dare in Causis tàm civilibus, quàm criminalibus in defectu plenæ probationis. cap. 66. p. 93.

Camerarius facere debet illicò ac est electus. — *l. Camerarius*.

Protomedicus, & Consiliarii præstare debent dum ineunt sua officia — *l. Consiliarii*. — *l. Protomedicus*.

L

LAUREA, quæ tribuitur Doctoribus dum creantur — *l. Insignia*.

LAPIDES extrahentes — *l. Lithotomi*.

LIBRI exhibentur in Doctoratu — *l. Insignia*.

LICENTIA Collegii pro absentia Collegæ numerarii, huic non suffragatur pro lucrandis distributionibus Doctorandorum — *l. Absens Numerarius*.

LICENTIATI fieri possunt in Philosophia, & Medicina, & etiam in sola Philosophia, non autem in sola Medicina, nisi priùs fuerint iidem licentiati in Philosophia. cap. 43. p. 63.

Fieri non possunt Hebræi sine Mandato Papæ. — *l. Hebræi*.

Debent examinari à quattuor Examinatoribus, etiamsi tantùm in alterutra facultate velint licentiari: Debent Puncta recitare, sed absente Vicesgerente, & Bidellis, nec illis traduntur insignia. cap. 43. p. 63.

Solvunt dimidium Doctorandorum. Ibid.

Quod si postea tractu temporis veliut doctorari, debent solvere reliquam portionem, & absque alio Examine, præsente Vicesgerente, & Bidellis traduntur Insignia. Ibid.

Fiunt etiam in Chirurgia, pro quo solvuntur scuta decem cap. 48. p. 70., & cap. 43. p. 63.

LITTERÆ patentes — *l. Patentes*.

LITES ad rem Medicam spectantes — *l. Causæ*. — *l. Controversiæ*. — *l. Inhibitiones*.

LITES si excitentur ab Aromatariis circa Taxam, sustineri, & defendi debent sumptibus Cameræ Capitolinæ, non Medicorum Collegii ex Diplomate Clementis X. anno V. Pontificatus. In Epistola Dedicatoria.

LITIGANTES de Causis Mercedis — *l. Causæ Mercedis.*

LITHOTOMI Lapides extrahentes, Cataractas deponentes, Testes extrahentes sumere debent licentiam, & patentem in gravibus, vel in omnibus Chirurgiæ Casibus. cap. 49. p. 67.

M

MAGISTRATUS in Collegio Medicorum sunt tres; Primus constans Protomedico, & tribus Consiliariis; Secundus est Censorum; Tertius Syndicorum. cap. 2. p. 4.

Primi Camerarius — *l. Camerarius.*

AD MAGISTRATUM primum non potest eligi nisi Collega, qui 40. annos ætatis habeat, qui Triennio fuerit in Collegio, qui sit præsens, & qui inquisitus non fuerit à Collegio, aut absolutus de aliquo crimine, si fuerit illi oppositum. Alter præsumens, & sine hisce conditionibus tentans acquirere hunc Magistratum, rejiciatur à Collegio. cap. 3. p. 7.

Electio quando, & quomodo facienda. — *l. Electio.*

Eligi sunt capaces etiam absentes ab Urbe; dummodo ipsorum reditus spes sit ante sex menses. cap. 24. p. 45.

MANDATA exequutionum — *l. Exequutionum Mandata.*

MANDATARIUS pro actibus juridicis Protomedici exequendis eligatur à Protomedico. cap. 70. p. 94.

Pro singulis citationibus assem accipiat. Ibid. p. 95.

Sed

Me-

tractantur, debet exire foras. cap. 33. p. 51.

Ad agenda Deputati — *l. Deputati*;

NEPOTES Collegarum ex Filiis nihil solvere debent pro Doctoratu, sed solùm donare Chirothecas; Ministris tamen solitum solvere, ut alii Doctores, cap. 34. p. 53.

Præferuntur aliis, cæteris paribus, in electione in Collegam. cap. 19 p. 39.

NOTARIUS de pecuniis à novo Collega solutis habet julios decem cap. 24. p. 41.

Approbationis, & Pronunciationis Doctorandorum modum, & formam notet præcisè, aliter multandus. cap. 37. p. 47.

Utatur charitate cum Doctoratis titulo paupertatis, & solas Chirothecas recipiat, potest tamen aliquid recipere, si Doctor dare aliquid possit, & velit. cap. 41. p. 61.

Debet rogare de Consignatione per inventarium facta Scripturarum Archivistæ — *l. Archivista*.

NOTARIUS debet jurare se servaturum Statuta Collegii. cap. 54. p. 82.

Debet omnes actus ad Collegium spectantes gratis facere. Ibid.

Debet registrare omnes Patentes, tum annuas, tum perpetuas. Ibid.

Omnium Examinum testimoniales litteras. Ibid.

Omnes actus ad matriculam spectantes. Ibid.

Debet subscribere Patentem Vice-Protomedici. c. 53. p. 80.

Interesse omnibus Congregationibus, & Collegiis, & eorum acta notare. Ibid. p. 83.

Actus Doctorum notare. Ibid.

Matriculatorum nomina notare. Ibid.

In-

NURSINI Cataractas, Testes, Lapides extrahentes, & similia exercentes — *l. Lithotomi*.

O

OBSTETRICUM Examinator — *l. Examinator*.

Litteras Patentes (quæ solæ Fœminis conceduntur) solus Protomedicus concedit, & has perpetuas, non annuas. cap. 47. p. 65.

Valent julios 10. Ibid. p. 66. — *l. Patentes*.

OFFICIA, ET OFFICIALES Collegii sunt annua præter Protomedicum, & Consiliarios. cap. 2. p. 6.

Protomedicus eligit, & tribuit cui vult præter Camerarium, Syndicos, Censores, & Examinatores Doctorandorum, qui eliguntur à toto Collegio. Ibid.

Calendis Januarii debent sua munia inire. Ibid.

OFFICINÆ Aromatariorum, Chimicorum, Destillatorum, Caffè; & Coccolatam vendentium, Simplicistarum, Aquavitarum, Tabaccariorum sunt quotannis à Protomedico visitandæ — *l. singulis earum nominibus* — *l. Protomedicus*.

EX OFFICIO potest Protomedicus procedere in Causis criminalibus. cap. 68. p. 94.

OPTIONEM in loca superiora vacantia Collegii non obtinet qui fuerit, & sit absens per integrum annum — *l. Absens* — *l. Collega absens*.

P

S. PANTALEONIS in Festivitate, vel in Octava ipsius celebranda est Missa solemnis in ejus honorem sumptibus Collegii — *l. Missa*.

PATENTES litteræ, seu Privilegia Doctorum, Viceprotomedici, Chirurgorum, & Empiricorum subscribuntur à Protomedico, & Consiliariis; Doctorum, & Viceprotomedici gratis, cæteræ cum emolumentis. cap. 10. p. 25.

Pro illis expediendis quid debeatur Notario — *l. Notarii merces*.

Obstetricum à solo Protomedico expediuntur — *l. Obstetricum Patentes*.

Simplicistarum, & Destillatorum à solo Protomedico expediuntur, vel annuæ post eorum examen, & valent julios decem, vel perpetuæ à Protomedico, & Consiliariis, & valent julios 26. cap. 48. p. 66. & 67.

Chimicorum non possunt expediri à solo Protomedico, sed requiritur consensus totius Collegii, & valent scuta septem aurea, & debent esse perpetuæ cap. 48. p. 66., & 67.

Circulatorum expediuntur eodem modo, & eorum pretio cap. 48. p. 66., & 67.

Chirurgorum in gravibus, seu in omnibus Chirurgiæ casibus, [quæ licet non disponantur, nec conceduntur in præsenti Statuto, tamen per Indultum S. M. Innocentii XI. petitum à Collegio, quod servatur penès Notarium, hodie dantur ad formam Statuti veteris] perpetuæ tantùm conce-

dun-

duntur, valent ſcuta ſeptem aurea. cap. 49. p. 70.

In levibus poſſunt concedi perpetuæ, vel annuæ, & valent annuæ julios 8 ½ cap. 49. p. 70.

Quomodo tum in omnibus, tum in levibus limitandæ, & quales caſus in illis reſpective excipiantur, & interdicantur. Ibid.

Poſſunt etiam abſentibus concedi, tranſmiſſo, & commiſſo examine à Protomedico alicui Medico in partibus, & recepta approbatione. Ibid. p. 71. 72.

Annuas in levibus poteſt ſolus Protomedicus concedere, perpetuas non poteſt ſolus, ſed cum Conſiliariis. Ibid. p. 71. 72.

Perpetuas omnes debent ſubſcribere Protomedicus, Conſiliarii, & Notarius. Ibid. p. 71. 72.

Debent tum perpetuæ, tum ad tempus à Notario regiſtrari — *l. Notarius*.

Patentes litteræ Chirurgorum in levibus valent julios 26. in gravibus ſcuta octo vulgaria. cap. 49. p. 72.

In omnibus, quæ licet in Statuto novo non concedantur, ſed per Indultum Innocentii XI. expediuntur, valent ſcuta ſeptem aurea.

Eas nullas debet ſubſcribere, & firmare, niſi priùs fuerint ſubſcriptæ à Camerario, qui teſtetur ſe recepiſſe pecunias. cap. 49. p. 72.

Semel in Anno ſui Protomedicatus, poteſt Protomedicus, unam in omnibus, alteram in levibus ſuo arbitrio concedere. cap. 49. p. 73.

Pauperes gratis curandi, tum à Medicis, tum à Chirurgis. cap. 62. p. 90. cap. 63. p. 91.

Doctoratum petentes debent gratis promoveri, ſed debent de ſua paupertate concludenter dicere per duos Teſtes formiter examinatos ante duos Collegas à Protomedico deputatos annuente Collegio. cap. 41. p. 61.

Gra-

cultatum, aut visitationis impedimento sunt aurea 25. cap. 8. p. 25., & cap. 44. p. 66.

Pro projectis sunt Julii 5. cap. 48. p. 68. 69.

Chirurgorum excedentium suas facultates, sunt aurea 25. Ibid.

Circulatorum contravenientium, & excedentium facultates sunt aurea 25. cap. 48. p. 68. 69.

Coccolatam vendentium pro projectis, & maleficiis sunt julii 5. cap. 48. p. 67.

Collegarum plura quàm unum Calculum ponentium in urna, est quod per duos menses absint à Collegio, & interim fructibus careant. cap. 30. p. 49.

POENA Collegarum serò venientium, post recitationem punctorum, est amissio distributionis illius Doctoris. cap. 29. p. 48.

Aliquam deputationem recusantium est aureum unum; quod si non solverint intra 15. dies, absint per annum à Collegio, ejusque fructibus interim careant. cap. 31. p. 50.

Non intervenientium ad Missas solemnes est aureum unum. cap. 27. p. 46.

Negotia Collegii temerè evulgantium prima vice sunt aurea quattuor; secunda vice sunt aurea 12., tertia vice est privatio loci Collegii. cap. 32. p. 51.

Demonstrantium Anatomen publicè — *l. Anatomen.*

Deputationem recusantium — *l. Collegarum aliquam deputationem.*

Destillatorum pro projectis singulis sunt julii 5. c. 48. p. 67.

Drogheriorum visitationem recusantium, aut impedientium sunt 25. aurea. cap. 8. p. 22. cap. 44. p. 66.

Judicum aliorum Tribunalium ſe immiſcentium in cognoſcendis cauſis ad rem Medicam ſpectantibus, quas Protomedicus, & Collegium debent cognoſcere, ſunt mille aurea applicanda pro medietate C. A., & pro alia parte Collegio Medicorum. cap. 59. p. 87.

Medicorum exercentium ſine Matricula ſunt 25. aurea. cap. 34. p. 18.

Non Collegarum ſe immiſcentium in peritiis, Judiciis, & Conſiliis ad rem Medicam ſpectantibus, etiamſi fuerint requiſiti ſunt 25. aurea. cap. 59. p. 88.

Pro Mercede agitantium in alio Tribunali, quàm Protomedici ſunt ſcuta 10. cap. 60. p. 89.

Non ſubſcribentium ſuas receptas proprio nomine ſunt 26. aurea. cap. 55. p. 84.

Projectorum ſunt julii 5. pro ſingulo projecto. c. 48. p. 67.

Protomedici non intervenientis in Miſſis ſolemnibus ſunt duo aurea. cap. 27. p. 46.

Protomedici negligentis Judicium anteceſſoris Protomedici, & Conſiliariorum, ſi ſint accuſati in menſe Januarii, eſt privatio per biennium fructuum, tum Magiſtratus, tum Collegii. cap. 11. p. 27.

In aliqua re negligentis, eſt 10. aureorum. cap. 7. p. 19.

Patentes concedentis Chimicis, & Circulatoribus, aliter quam permittit Statutum. cap. 48. p. 69.

Per Annum Magiſtratu, & Collegii emolumentis careat. Ibid.

Tabaccariorum projectorum ſunt julii 5. cap. 48. p. 67.

PRA-

Cau-

Causas civiles, & criminales ad rem Medicam spectantes judicat. Ibid.

Aromatarios Urbis semel in Anno, vel quotiescunque libuerit, visitet, vel per se, vel per alios Collegas, ut & Drogherios, Chimicos, Herbarios, seu Simplicistas, Stufas siccas, Tabaccarios, Caffè, & Coccolatam vendentes, & Aquamvitam, nec possunt prædicti recusare visitationem sub pena 25. aureorum, sed tales Artifices in Statu Ecclesiastico potest visitare per delegatos etiam non Collegas. Ibid. p. 22. cap. 48. p. 66.

Vicesgerit Vicesgerentis absentis. cap. 37. p. 46.

Debet omnia scripta Collegii Successori consignare. cap. 6. p. 17.

Omnes pecunias Collegii consignare Camerario. Ibid.

Si in aliquo negligens fuerit, à Successore decem aureorum pœna multetur. cap. 7. p. 19.

Antecessorem, & Consiliarios, si fuerint accusati, mense Januarii, aut punire, aut absolvere, aliàs à Successore privetur Emolumentis, tùm Collegii, tùm Magistratus per Biennium. cap. 11. p. 27.

Non potest accusari, ut nec etiam Consiliarii, nisi intra primos quindecim dies Januarii, & intra totum mensem Januarii judicari, aliàs censentur absoluti. cap. 11. p. 26.

Si velint accusari, quomodò faciendum. cap. 12. p. 27.

Subjacet Judicio Successoris, in secunda Instantia, Consiliariorum, in tertia totius Collegii, cujus tamen duæ ex tribus partibus debent consentire. cap. 6. p. 18.

Uxorem ducens —— *l. Nuptias.*

Non interveniens Missis solemnibus à Collegio celebrandis, duos aureos solvat. cap. 27. p. 46. —— *l. Missæ*.

Protomedicus absens nomine, & Interesse Collegii censeatur tanquam præsens, si verò absit nomine, & interesse proprio, moneatur à censoribus per litteras, ut redeat intra annum, quod si non redierit, anno transacto, amittat locum Magistratus, & locus alteri, cui debetur, concedatur. cap. 5. p. 16.

Potest Aromatarios Status Ecclesiastici visitare personaliter, sed non nisi de approbatione Collegii, in quo casu debet ire sumptibus Collegii, tàm pro se, quam pro Famulo, & Equis; extra Urbem tamen non potest ex se expedire negotia, quæ Consiliariorum consensu indigent, nisi de hoc habuerit à Collegio facultatem. cap. 9. p. 28. 24.

Bandimenta potest promulgare. cap. 8. p. 22.

Potest poena pecuniaria, & corporis afflictiva, sed citra sanguinis effusionem punire. cap. 8. p. 23.

Potest Commissarios expedire, & delegare in loca Status Ecclesiastici. cap. 9. p. 24. Et hoc fuit stabilitum etiam per Decretum Sacræ Congregationis Consultæ Anno 1698., procurante ob quandam occasionem D. Luca Thomasino, tunc Protomedico.

Potest unam patentem Chirurgiæ in gravibus, alteram in levibus Anno sui Protomedicatus suo arbitrio concedere. cap. 49. p. 73.

Si moriatur, mittantur Hæredibus de pecunia Collegii sexdecim dupleria cerea lib. 64., & pro eo celebretur solemne Sacrum cum triginta aliis Missis non solemnibus, sumptibus Collegii. cap. 26. p. 44. 45.

Si

Si moriatur ad ſextum menſem ſui Protomedicatus, Succeſſor exactò quod reliquum eſt Anni, dimittat Protomedicatum, ſi verò moriatur poſt ſex menſes, Succeſſor compleat Annum, & toto etiam ſequente regat Protomedicatum.

PUNCTA explicanda in actu Doctoratus exhibenda, & aſſignanda arbitrio Protomedici pridiè ſummo mane, & extrahenda ex primo, aut ſecundo libro Phyſicorum Ariſtotelis pro Philoſophia, & pro Medicina ex primo, aut ſecundo libro Aphoriſmorum Hippocratis. cap. 34. p. 54.

Pro Chirurgis Doctorandis extrahenda ſunt puncta, unum ex Aphoriſmis Hippocratis pertinens ad rem Chirurgicam, alterum ex arte parva Galeni. Ibid.

Pro Doctoratu in ſola philoſophia, unum ex primo, vel ſecundo libro phyſicorum Ariſtotelis, alterum ex libris poſteriorum Ariſtotelis. Ibid.

Dum recitat Doctorandus ſedere debet detecto Capite. cap. 35. p. 55.

PUBLICATIO Doctorum — *l. Approbatio*.

PURGANTIA Medicamenta ſine licentia Medici vendere nemini licet, niſi Aromatariis vendantur. cap. 48. p. 66.

R

RECEPTÆ à vulgo appellatæ, ſi non ſubſcribantur à Medico proprio nomine, & cognomine, Medicus luat pœnam 25. aureorum, ut etiam Aromatarius, ſi eas expediverit. cap. 55. p. 84.

RECOGNITIO — *l. Merces* — *l. Salarium* — *l. Stipendium*.

RE-

debet penes primum Consiliarium. cap. 10. p. 25.

SPARGIRICI — *l. Chimici*.

STATUTA Collegii Medicorum Romanorum fuerunt primò confecta tempore Julii II. Pontificis Max., & reformata a Clemente VII.; sed mihi videtur, quod ante Julium II. essent, nam tempore Sixti IV. fuit ab eo edita Bulla circa has materias, ut apparet ex Bullario Collegii, inde probabile est à Julio II. fuisse tantùm, vel reformata, vel confirmata Statuta, ut fuerunt denuo reformata sub Clemente VII. & ab eo in forma specifica confirmata. Imo tempore Eugenii IV., nempe 75. annis ante Julium II. erat Protomedicus Joannes Verallus, ut ex Catalogo Collegarum, ergo erat Collegium, & consequenter Statuta, licet ad præsens non habeatur de illis memoria; saltem itaque erat jurisdictio Protomedici, licet forma non tàm ampla, si erat Protomedicus. Reliqua lege in Epistola Dedicatoria Statutorum.

Sunt à Protomedico, & Collegis inviolabiliter observanda. cap. 72. p. 96.

Protomedicus curare debet, ut ab omnibus observentur. cap. 5. p. 18.

Nova, & Decreta nova non potest Collegium facere circa ea, quæ sunt in Statutis stabilita, multo minùs istis contraria, sed possunt à Collegio fieri nova Decreta circa ea, quæ in Statutis non sunt declarata, & determinata. cap. 72. p. 96. Hæc tamen Protomedicus cum Consiliariis definiat. cap. 8. p. 20.

STATUTA semper legenda coram toto Collegio in eo Capitulo, in quo disponitur de eo, quod tractari debet in eo Collegio. cap. 3. p. 7.

T

 exhi-

exhibitam; Exteri vero Doctores ad id non tenentur. cap. 50. p. 77.

V

Ex VARIORUM Pelle Bavariolis ornandi Collegæ, & publicè Doctorandi — *l. Bavariolæ*.

VENENA nemini vendere licet sine Medici licentia, nisi vendantur aromatariis. cap. 48. p. 66.

VESTEM violaceam gestare tenentur Protomedicus, & Consiliarii. cap. 8. p. 19.

VESICANTIBUS mederi — *l. Barbitonsores*.

VICEPROTOMEDICI officium si Collega velit annuatim assumere, repulsam nullam patiatur, nisi à Syndicis aliàs in eum fuerit animadversum, adeo ut jure possit refelli. cap. 53. p. 80.

VICEPROTOMEDICUS non eligatur Medicus non Collega, si non habeat Romæ Sponsorem Idoneum, qui non sit moribus bonis præditus, qui non sit mediocriter eruditus, qui ante quinquennium non sit Doctoratus. Ibid.

— Debet habere litteras patentes subscriptas à Protomedico, & Notario. cap. 53. p. 80.

Pecunias in visitatione exactas debet Collegio tradere ante vigiliam Nativitatis Domini. Ibid.

A' Collegii, & Sindicorum Sententia non debet appellare extra Collegium; si secus fuerit, pro quacunque contraventione provisionem amittat. Ibid. p. 81.

Idem non potest iterum eligi, nisi exacto Septennio. Ibid. p. 83.

Quid debeat agere in visitando. Ibid. p. 81.

Pa-

Vo-

F I N I S.





